

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 L
17

TRACTATVS
DE SEQVESTRIS.




Quem,

EX FONTIBVS VTRIVSQVE Iuris, receptis Doctorum traditionibus, Cameræque Imperialis ordinatione, & stylo,


Congessit, & ad communem vtilitatem, in lucem edidit,

IOANNES BAVMAN, V.I.D.

Cum duplici Elencho: vno capitum; altero rerum & verborum notabilium.








Cum priuileg. Sac. Cæs. Maiest. ad Sexennium.

FRANCOFVRTI,

Apud heredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Ioannem Aubrium.

ANNO MDXCVII.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI, ET DOMINO, DOMINO Andreæ, S. R. E. Cardinali ab Austria, Episcopo Constantiensi, & Brixiensi, vtriusque Abbatiæ Murbacensis, & Luderensis Administratori, Marchioni in Burgavv, anterioris Austriæ ditionum gubernatori, &c. Principi suo clementissimo.





ONSVEVERVNT *ii, Reuerendißime & Illustrißime Cardinalis, Princeps clementißime, qui tractationem alicuius materiæ, in quouis genere doctrinæ, hactenus susceperunt, priusquam in re suscepta discutienda, & deducenda, pedem ponerent, loco præfationis, & commendationem eius rei præmittere, & de deligendo celebri, &*

laudato aliquo patrono cogitare, ſub cuius præſidio, ea tuto in manibus hominum verſaretur, & placidè conquieſceret, ſimulque ab eorum cenſura, vel potius calumnia, qui in alienis laboribus iudicandis aliquid gratiæ largiri recuſant, quaſi vindicaretur. Ac prius quidem illud, vt commendatio rei propoſitæ (ſiue id ex vtilitate, frequentia, vel ſubtilitate, ad oſtendendam vim, & acumen ingenii, ſiue ex alio capite, fieri poſſet) præmitteretur, etſi mihi nunquam diſplicuit, vt qui valde inconueniens eſſe cenſeam, maximè iis qui in iure verſantur, abſque omni præfatione (quæ vt author eſt, I.C. Caius in l.1. D. de origine iuris, & libentius nos ad lectionem propoſitæ materiæ perducunt, & cùm eò venerimus, euidentiorem præſtant intellectum) illotis quaſi manibus, protinus ad interpretationem

mate-

materiæ procedere, Attamen, in eo offendisse plerique mihi visi sunt, vt quam quisque rem suscepisset pertractandam, in ea laudanda, supra modum, & plus quàm par erat, insisteret & immoraretur, atque ita rem, alias laude sua dignam, nimio opere extollendo, de ficto encomio, suspectam redderet. Qua de causa parcius ego, qui materiam sequestrorum, hisce contractioribus chartis complexus sum, in commendanda ea incedendum existimaui, satis esse ratus, si id admoneam, ex vnica eius in foro iudiciario frequentia, vtilitatem eiusdem facilè metiri vnumquemque posse. Quæ enim, & in grauißimis, & in modicis causis, hodie in Romano potißimum Imperio, magis quotidiana, aut frequentior, quàm de sequestratione decernenda, quæstio? id sanè vbique iudicia clamitant (cæteros, decernendæ

ſequeſtrationis caſus, infra capite 3. annotatos, hic prætereo) periculo armorum imminente, vt res litigioſa ſequeſtretur; ac eſt is, apud iudicum ſubſellia, importunorum creditorum penè quotidianus conflictus, vt nonnunquam iudices, eiuſmodi importunitatibus victi & pertæſi, præproperè ante exactam cauſæ cognitionem, in decernendas ſequeſtrationes conſentiant, non attendentes, à iudicibus ſuperioribus, ex præſcripto Legum, reuocari eas, tanquam nulliter decretas, iterum poſſe. Adeoque ob eius frequentiam, à quondam Auguſtiſsimæ recordationis Imperatore, Carolo V. Auſtriaco, in Comitiis Auguſtanis, de Anno, 1548. ex communi Principum, & Statuum Imperii voto atque conſenſu, ſpecialis conſtitutio & pragmatica ſanctio, de litigioſa poſſeſſione, inter Principes & Status Im-

perio immediatè subiectos sequestranda, concepta in Imperium publicata, & ordinationi Cameræ Imperialis, parte 2. titulo 21. §. finali, inserta sit. Mirari vt satis nequeam, plerosque ex nostris, in tractandis iis, quæ ab vsu humano remotißima sunt, omnes neruos intendisse. Hanc autem juris partem, materiam sequestrorum, minimo vix digito attigisse. Præterquam quod duo excellentes jurisconsulti Germani, Andreas Geil, & Mynsingerus, eam obiter hinc inde, in scriptis suis attigerint, quorum traditiones ego, in plerisque stylum Cameræ Imperialis concernentibus, retuli, & secutus sum. Nam quæ ante eos, Curtius senior, Angelus Perusinus, Iacobus de Arena, in hoc argumento tradiderunt, aliud penè in se continent nihil, pace ipsorum dixerim, præter inanem & vacuam, variarum opinionum conge-

riem, ſolido Fundamento iuris, vix minima ex parte ſuffultam. Ac de materia quidem ipſa, præfationis loco, hæc ſcripſiſſe ſufficiat. Porrò cogitanti mihi, cuius ſub tutela & patrocinio, exiguus hic libellus in lucem emitteretur, etſi non ignorabam, indignum eum eſſe, qui tanto Principi inſcriberetur, vtpote non modo ex sereniſſima, & potentiſſima domo Auſtriaca oriundo, ſed etiam in tam excelſo Eccleſiæ Catholicæ gradu, & faſtigio collocato; Tamen, quia nonnunquam maiorum quoque Principum, ac in primis Auſtriacorum, ea humanitas eſt, vt minima quæque ſubiectione debita ipſis oblata, non reſpuant, ea prudentia, vt non quid detur, ſed qua mente, quouè animo offeratur, agnoſcant: Eapropter & tantò ſecurius Reuererendiſſimæ, Illuſtriſſimæque Celſitudini veſtræ, hæc ruta cæſa, vt

verbis iurisconsulti vtar, dedicare constitui; Non eo quidem fine, quod huic libello, cuius quæ tenuitas sit, ipse satis noui, inter celebria monumenta locum esse cupiam, sed vt Reuerendissimæ Illustrissimæque Celsitudini vestræ, exigua mea seruitia, antehac oblata, & benignissimo fauore, atq; clementia, quantum mihi ex gratioso rescripto constat, excepta, quæsita hac occasione testatiorá redderem, ac in partibus mihi credendis, suo tempore & loco cum effectu exhiberem. Quod si consequi aliquando licebit, huius nauatæ operæ, satis amplum & cumulatum fructum me reportasse existimabo. DEVM Optimum Maximum interea precabor, vt Reuerendissimam Illustrissimamque Celsitudinem vestram, Reipublicæ Christianæ perdiu incolumem tueatur & conseruet; donec aliquando eam, maximo sedentem

in ſolio, iampridem tot turbinibus ac tempeſtatibus fluctuantem Chriſti Nauem, ſaluam in Portu collocare videamus. Scripſi Enſisheimii, 5. Februarii, Anno 1597.

Reuerendiſſimę, Illuſtriſſimæq; Celſitud. veſtræ,

Subiectiſſimus,

IOANNES Bauman, D.

AVTHOR, STVDIOSO *Iuris Lectori, Salutem precatur.*

SI quid in hoc, DE SEQVESTRIS, libello, repereris, studiose juris Lector, quod palato tuo minùs arrideat, aut tuæ expectationi non satisfaciat, cogites nihil mihi præter opinionem accidisse, vt qui tantillo tẽporis spacio, decem scilicet dierum, quo is collectus est, difficulter potuerim maius quid præstare, nec verò altiorem ei sedem, quàm qua dignus est, arrogare cupiam. Ita tamen, nisi me coniectura fallit, hæc, quæ grata breuitate tractare institui, complexus esse mihi videor, vt etiam illos, qui se arcem jurisprudentiæ tenere somniant, hæcque ex alto de-

ſpiciunt, & apud quos impenſa opera forſan inuidiam habitura eſt, iuuare aliqua ex parte poſſit. Tuum erit, Lector, qua beneuolentia & humanitate, hæc à me offeruntur, agnoſcere, & præſtantius quidpiam, ſi DEVS vitam conceſſerit, progreſſu temporis expectare. Vale, & iis, pro tua commoditate, vtere.

INDEX CAPITVM,
IN HOC TRACTATV De Seqvestris contentorum.

TRACTA-

TRACTATVS DE SEQVESTRIS, CAPVT PRIMVM.

SEQVESTER, ET SEQVESTRVM, siue Sequestratio quid sit,& quomodo a Deposito,& Recredentia differat.



SVMMARIA.

1 *Leges non Verbis, sed Rebus ipsis imposita.*
2 *Sine Verborum Intellectu, Rerum difficilis cognitio.*
3 *Hominum Causa, omne jus constitutum.*
4 *Quid sit sequester.*
5 *Sequestris Definitio expenditur.*
6 *Omnis Definitio in Iure periculosa.*
7 *Plura sunt Negotia, quam Vocabula.*
8 *Sequestris Etymologia discussa.*
9 *Sequestrationis Definitio, & num.10.*
11 *Turpe est in Iure versantibus, jus ignorare.*
12 *Sequestrum a Deposito, quomodo differat, & num. 15.16.*
13 *Sequester medius inter Litigatores.*
14 *Depositum, & ab Vno, & a Pluribus simul fieri potest.*
17 *Depositario eiecto, an detur Possessorium Recuperanda.*

18 *Sequester, in volũtaria sequestratione, an rem sequestratam possidere dicatur.*
19 *Magistratus errant, qui rem litigiosam, penes alteram partium sequestrant.*
20 *Sequestrum, quomodo à recredentia differat.*
21 *Budæi error, de judicio vindiciario.*
22 *Sequester, idoneus esse debet, pro quantitate rei sequestratæ.*



ETSI in Iure nostro, Rerum potior & sit, & esse debeat quàm verborum inuestigatio: Non enim[1] verbis, inquit Imperator Iustinianus, sed rebus ipsis, Leges imponimus, l. 2. in fine C. Communia de legatis, & l. vt nullo modo 28. quæ aliis est lex vltima, mihi antepenultima, C. de vsuris. Tamen & verborum interpretatio, ad rei eius, quæ tractanda proponitur, verum intellectum consequendum, non tam vtilis quàm necessaria est, vtpote sine [2] qua in rei cognitionem difficulter admodum sis peruenturus, textus in l. 1. vbi Iason, Decius, & communiter Doctores, D. de rebus creditis. Cumque attestante Jurisconsulto in l. 2. in principio D. de statu hominum, magis conueniat, personarum atque hominum, causa [3] quorum jus omne constitutum est, definitionem omnibus aliis anteponere: ideoque ego, materiam sequestrorum, ex juris vtriusque fontibus, receptis doctorum traditionib. Cameræque Imperialis ordinatione & stylo perpendere, ac cer-

ac certis quibuſdam capitibus, pro temporis, & paginarum ſpacio, comprehendere cogitans, facturus operæ pretium arbitratus ſum, ſi omnium primò quid ſit ſequeſter, quidque ſequeſtrum ſiue ſequeſtratio, porrò quemadmodum à depoſito & recredentia differat, præmittam, illiſque cognitis, in ampliorem materiæ huius inueſtigationem ſubinde deſcendam. Sequeſter [4] itaque definitore Modeſtino dicitur is, apud quem plures eandem rem, de qua controuerſia eſt, depoſuerunt, dictus ab eo, quod occurrenti aut quaſi ſequenti eos, qui contendunt, committitur, l. ſequeſter 110. D. de verborum ſignificatione. Hanc ſequeſtris definitionem [5] ſi ad leges Rameas, maximè primam κατὰ παντὸς, & tertiam καθόλου πρῶτον, exigere velis, etſi non deſit, quod in ea deſideres, in voluntario enim ſequeſtro tantum loquitur, vt rectè aduertit Angelus Peruſinus, Baldi frater, de ſequeſtris, num. 1. Attamen, cum Iabolenus omnem [6] in Iure Ciuili definitionem periculoſam, rarumque eſſe aſſerat, vt non ſubuerti poſſit, l. omnis 202. D. de regulis juris (ob penuriam fortè verborum, cùm plura [7] ſint negocia quam vocabula, l. natura 4. D. de præſcriptis verbis, & l. ſi quis 4. in fine D. de legatis 1.) Ea propter, & præſens ſequeſtris definitio, quæ aliâs definitum ſatis exprimit, citra iuſtam reprehenſionem admitti poteſt, ac per me quidem admiſſa eſto. Sanè [8] Etymologia à Modeſtino tradita, qua ſequeſtrem

dixit, quasi occurrentem Controuersię, sequentemque eos qui contendunt, subdura est, ob id maximè, quod occurrere & sequi, pro similibus accepit, cùm diuersissima sint; Occurrit enim, qui aduersum tendit, sequitur qui post venit: Quare mihi magis probatur eorum opinio, qui malunt, sequestrem dici ab eo, quòd vtraq; Pars eius Fidem sequitur, id quod etiam Alciato, in d.l. sequester, num. 1. non displicuisse video. Sequestrem [9] verò, siue sequestrationem definiuit Hostriensis in sequẽtem modum; Quod sit Rei, de qua controuertitur Depositio, in sua Summa, Extra de sequestratione Possessionis & Fructuũ, num. 1. Verbi gratia, inquit Hostiensis, duo contendunt de Re aliqua, ponentes eam in Manu alicuius Amici (sic loquuntur) vt restituat ei qui obtinuerit, interim verò custodiat. Atque [10] hæc quidem sequestrationis, vt antedicta sequestris Definitio, de Voluntaria tantum sequestratione, quæ regulariter permissa est, loquitur, qua de & Jurisconsulti in Pandectis potissimum locuti videntur, d.l. sequester, De Verborum significatione, textus in l. propriè 6. l. licet 17. D. Depositi. Non etiam de Necessaria, quæ vtroque jure, vt ex infra dicẽdis patebit, prohibita est: Ita quod nec ea, ad Leges Logicas tam strictè exigenda sit, sed Materiam ipsam assequi jura profitentibus sufficere debeat, & saltẽ [11] jus sequestrãdi, in quo versentur, non ignorare, argumento l. 2. §. Seruius autem Sulpitius D. de Origine Juris. Porrò, [12] Sequestrum à Deposito trifariam potissimum distin-

distinguitur. 1. Quod apud sequestrem non nisi plures Rem litigiosam deponunt, siue sequestrant, d.l.6.ibi: quod à pluribus &c.& d.l.17.ibi: Apud sequestrem non nisi plures deponere possunt, D.Depositi. Quis enim solus, secum ipse litiget, Litisq; Causa, Rem deponat? Ac est[13] sequester medius quidam inter Litigantes, siue Contendentes, supradicta l.sequester, ibi: quasi sequenti eos qui contendunt, D.de Verborum significatione: Deponere verò potest etiã Vnus, d.l.licet ibi: deponere [14] tam Vnus quam Plures possunt, adeoque id de quo nulla sit controuersia, Curtius Senior in l.Vnica, num. 21.& 29.C. de prohibita sequestratione Pecuniæ. 2. Apud [15] sequestrem vnusquisq; in solidum videtur deponere, cùm Rem totam suã putet: secus, quando id quod commune est, plures deponunt, qui pro parte tantùm se norunt esse Dominos d.l. licet ibi: Itaq; hoc casu in solidum vnusquisque videtur deposuisse, quod aliter est, cùm Rem communem deponunt, textus in l.1.§. sed si duo deposuerint 44.ibi: Sin verò pro parte, D.eodem Titulo. 3.[16] Rei Depositæ Possessio, non transit ad Depositarium (multoque minus Proprietas. l.officium 9.D.de Rei Vendicatione.) quia non possidendi, sed custodiendi Causa rem tenet, d.l.licet §.1.ibi: sed & possessio, & d.l.Officium.ibi: Quia hi omnes non possident; Indeque [17] Depositario eiecto, Recuperandæ possessionis Remedium non dari rectè scripsit Franciscus Ripa in l.Rem quæ nobis 15.num.21.D.de acquiren-

da possessione, & in c. sæpè 18. num. 24. Extra de restitutione spoliatorum, cumque secutus ita docuit Menochius, in Commentariis de Recuperanda possessione, remedio 15. num. 53. sequester [18] verò in voluntaria sequestratione possidet, si ea depositione id expresse actum sit, vt neutrius litigatoris possessioni id tempus procedat, sæpedicta l. licet, in fine D. depositi. facit textus in l. interesse puto 39. D. de acquirenda possessione, Mattheus Vuesenbecius in Paratit. D. depositi, nu. 6. Curtius senior in d. l. vnica C. de prohibita sequestratione, num. 29. versic. tertio differunt. Cum itaque sequester, non nisi plurium partium se medium gerat, vt in prima differentia scripsi, inde constat eos [19] Magistratus pessimè labi, & errare, qui sub prætextu, vt iurgiis & seditionibus obuiam eant, penes alteram partium, quidpiam sequestrant; debet enim sequester medius esse, non ex ipsis collitigatoribus eligi, Baldus in c. 1. extra de sequestratione possessionis & fructuum, Alciatus in d. l. sequester, num. 2. de Verborum signific. Tandem [20] à recredentia, eo modo sequestrum differt, quòd recredentia dicatur, cùm possessio custodiæ causa vni partium conceditur, Petrus Rebuffus in Cōmentariis ad regias constitutiones Galliæ, titulo de Materiis possessoriis, artic. 1. glos. 1. num. 10. Sequestrum verò fit, cùm neutri partium, sed apud tertium res custodienda præcipitur, & judicium hoc non efficit possessorem plenè possidere (voluntario sequestro excepto, si scil. partes in id ex-

id expresse consentiant, vt ante scripsi) quemadmodum interdictum vti possidetis, Menochius in Commentariis de Retinenda possessione, remedio 3. num. 10. & 11. Et Recredentia quidem aliis Interim, aliis noua prouisio, atque prouisionale remedium, Budæo [21] etiam judicium vindiciarium appellata est; in quo tamen fallitur Budæus, cùm judicium vindiciarium (antiquis ita dictum) pro recredentia accipit. Recredentia. n. conceditur, non cum de proprietate, sed cùm de sola possessione, eaque momentanea, est quæstio, & vulgò judicium summariissimum dicitur: Vindiciarium verò judicium, cùm de proprietate controuertitur, incertumq; est vter possideat, Menochius d. remedio 3. de retinenda possessione, num. 9. & 10. & in præludiis de recuperanda possessione, num. 31. & 32. Andreas Geil. lib. 1. obs. 7. num. 6. Illud coronidis loco, circa sequestris definitionem, adde, quod [22] is penes quem fit sequestratio, idoneus esse debeat, pro quantitate rei sequestratæ, textus & ibi Bartolus in l. litibus 20. C. de agricolis & censitis lib. 11. quem ad id allegat Iacobus de Arena, in Tractatu de sequestris, num. 17. quam traditionem ego ita admitto, si reperiri tam locuples sequester commodè possit; aliàs censeo hanc circumstantiam, quoad sequestris personã, judicis qui sequestrum decreuit, arbitrio relinquendam, atque ita praxis quotidiana obseruat, vt iis, qui in foro versantur, notissimum est.

CAPVT II.

Sequeſtrationis Diſtributio, & an ea Regulariter prohibita ſit.

SVMMARIA.

1 *Sequeſtratio, Duplex eſt.*
2 *Iudicium redditur in inuitum.*
3 *Sequeſtrationem voluntariam permiſſam eſſe.*
4 *Rei ſuæ quilibet moderator & arbiter.*
5 *Fauori ſuo quilibet renunciare poteſt.*
6 *Sequeſtratio Iudicialis, ſiue Neceſſaria, prohibita eſt, & num. 9.*
7 *Ab Executione, proceſſus non eſt inchoandus.*
8 *Poſſeſſionis Commodum, permagnum.*
10 *Sequeſtratio, a Cæleſtino Papa decreta, per ſucceſſorem eius, Innocentium, reuocata.*
11 *Sequeſtratio Iudicialis fit bifariam.*
12 *Oblatio, ſiue Depoſitio Realis.*

SEqueſtrationem Doctores cõmuniter [1] Duplicem faciunt; Alteram Voluntariam ſiue Conuentionalem, ex Beneplacito & Conuentione Partium procedentem, Verbi cauſa, ſi Litigatores vltrò extra judicium cõueniunt, de Re Litigioſa ſequeſtranda; Alteram Neceſſariam, ſiue judicialem, quæ fit à judice, ex Cauſis legitimis, vt quia Judex, videns Controuertentes eſſe in procinctu Armorum, Rem de qua litigatur, Partibus nolentibus, volentibus, ex officio ſequeſtrat.

questrat. Recteq; judicialis dicitur, cùm fiat ipsis Litigantibus inuitis, quod judiciorum proprium est, vt [2] in Inuitos sc. reddantur, l. inter Stipulantem 83. §. 1. ibi: Judicium autem in Inuitum redditur, D. de Verborum obligationibus. Ita communiter Doctores, Legistæ in l. Vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ: Canonistæ, in Rubrica & toto Titulo, extra De sequestratione Possessionis & Fructuum, & in Clemẽtina Vnica, eodem. Voluntaria [3] Sequestratio (qua de loquuntur l. ei apud quem 5. §. 1. & 2. l. propriè 6. l. licet 17. D. Depositi, Item l. propter 5. & l. is penes quem 6. C. eodẽ Titulo, l. interesse puto 39. D. de acquirenda possessione, l. si soluturus 39. D. de solutionibus) omni modo permissa est. Cùm enim [4] Rei suæ, quilibet moderator sit & arbiter, textus l. in re mandata 21. C. Mandati, l. sed etsi 25. §. consuluit 11. ibi: dum re sua se abuti putant, D. de Hereditatis petitione. Itemque Fauori [5] pro se introducto Renunciare quibuslibet permissum sit, l. pactum 46. D. de Pactis, l. si quis in conscribendo 29. C. eodem titulo: Tantò minus dubitandum, Litigatoribus vtrinque permissum esse, Rem litigiosam, penes aliquem Tertium, certa conditione custodiendam, reddendamque deponere & sequestrare, d. l. propriè D. Depositi, Iacobus de Arena in Tractatu De sequestris, num. 1. & 2. Mynsingerus Cent. 5. Obs. 35. Andreas Geil lib. 1. Obs. 148. num. 8. Sequestratio [6] verò judicialis, quam Necessariam dicũt, regulariter prohibita est (ita vt casus excepti

infra cap.3. commemorati, penè regulam prohibitiuam in non exceptis firmare videătur, argumento eorum quæ tradidit Decius in l.1. num. 21. D. de Regulis juris, & in consilio 280. post Bartolum in l. quæsitum 12. §. denique. D. de fundo instructo.) Oportet enim debitorem primò conuinci, priusquam ad sequestrationem vel solutionem deueniatur, l. vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ; nimisque [7] præproperè ante rem judicatam, ad executionem procedatur, l.1. C. de executione rei judicatæ, maximè cùm permagnum [8] sit possessionis commodum, §. commodum, Institutionib. de interdictis, l. is qui destinauit 24. D. de rei vendicatione. quo propterea, sine præuia causæ cognitione, liteuè necdum finita nemo sit sequestrationis intuitu destituendus, toto titulo extra vt lite pendente nihil innouetur, c. nolumus, ibi: dominio rei, apud possessorem, sicut hactenus possessum est, permanente, 16. quæst.4. quo fit vt Hostiẽsis titulos Juris Canonici, in Decretalibus, & Clemẽtinis, de sequestratione, &c. rectè cum his verbis subaudierit, scil. regulariter prohibita, vt planè in judiciali sequestratione, regula negatiua constitui debeat, eam [9] scilicet tam de Jure Ciuili, quàm pontificio in rebus mobilibus, & immobilibus, corporalibus, & incorporalibus, profanis & spiritualibus prohibitam esse, glossa & doctores in c. examinata 15. extra de judiciis, doctores in l. si fideiussor 7. §. finali D. qui satisdare cogantur. & in l. Imperatores 21. §. finali

finali D.de appellationibus, Curtius senior in l. vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ num. 6. Mynsing.responso 61 incip.suborta nuper controuersia, num. 39. responso 66. incip. responsi sequentis thema, num.14.responso 82. incip.Anna E.de Vu. num.2. ex qua causa [10] Innocentius III. Pont.Max. à prædecessore suo Celestino, proprio arbitrio (quasi dicat iniustè decretam sequestrationem iterum reuocauit, vt est textus in cap.1.§.1.& 2.ibi: possessionem pro suo arbitrio sequestrari præcepit, item ibi: mandato sequestrationis penitus reuocato, extra de sequestratione possessionis & fructuum. Atque hæc [11] quidem iudicialis sequestratio fit altero de duobus modis; scilicet vel de re non contentiosa, (hoc est, necdum in judicium deducta, sed in futurum deducenda) idque tum ad juris sui conseruationem, vt in heredibus, qui conuenire non possunt, super Testamentis vel cautionibus conseruandis, eo enim casu judex licitè ad sequestrationem procedit, textus in l.cæteræ 4. §. finali, ibi: Tabulas verò authenticas ipsum retinere, aut in æde deponere, & l. si quæ sunt cautiones 5.ibi: eligendus est amicus apud quem deponatur, vel in æde sacra deponi debent, D.familiæ ercisc undæ, l.si de tabulis 6. & quæ ibi traduntur per doctores D. de Fide instrumentorum, Mynsing. Cent.4. obs. 37. in fine. tum ad oneris euitationem, vt in debitore, qui ad euitandum cursum vsurarum offert sortem, quam si creditor

acceptare recuſet, ſequeſtrabit Judex talem pecuniam, hancque [12] Oblationem realem Doctores appellant, textus in l.acceptam 19. C. de Vſuris, & in l.debitor 7. D.eodem titulo. Vel fit de Re contentioſa, ſi ſcil. Rei poſſeſſæ ſeu detentæ, qua de cõtrouertitur, aut Fructuum rei controuerſæ, à Poſſeſſore vel Detentore, fit ſeparatio & ſequeſtratio, vt in pleriſque caſibus infra capite proximo recenſendis, in quibus omnibus ſequeſter certantibus quaſi Medius interuenit, ita Curtius Senior in d.l. Vnica C. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ, num. 19.20.& 21.

CAPVT III.

Commemorantur Caſus Excepti, à Regula, ſequeſtrationis prohibitiua.

SVMMARIA.

1 *Caſus Excepti, à Regula ſequeſtrationis prohibitiua, & num. 2.4.7.9.11.16.17.20.22.24.29.30.31.32.33.*

3 *Marito vergente ad Inopiam, ſequeſtratur Dos, ad ſuſtentationem Mulieris.*

5 *Declaratio ad l. Imperatores. §. finali. D. de Appellationibus.*

6 *Appellationis in Cauſa, ſi ſubſit timor de dilapidatione, Fructus ſequeſtrantur.*

8 *Subditis, contra Dominos, ob nimiam eorum ſæuitiam, Mandatis pœnalibus ſuccurritur.*

10 *Fideicommiſſario, ſi Heres recuſet de ſoluendo Fidei-*

Fideicommisso cauere, bona Fideicommisso relicta, sequestrantur.

12 *Ob nimiam sæuitiam Mariti, Mulier in loco honesto sequestratur.*

13 *Casus, in quibus denegatur Viro Uxoris Restitutio.*

14 *Puella, de cuius Matrimonio Quæstio ventilatur, usq; ad Litem finitam, in loco honesto, & apud Consanguineos sequestrari potest.*

15 *Forma Sententiæ, in Causa sequestrationis Puellæ.*

17 *Iustus timor Armorum, causat sequestrationem.*

18 *Altera ex Partibus possidente, non debet Judex ad sequestrationem procedere.*

19 *Possessione sua, ob contradictionem alterius, nemo priuandus.*

21 *Bona Damnatorũ, hodie, præterquam in Criminibus Exceptis, non publicantur.*

23 *Summa ratio est, quæ pro Religione facit.*

25 *Ab Executione sententiæ, appellare permissum est.*

27 *Scandali futuri ratione, à Regulis Juris communis receditur.*

28 *Scandalo imminente, spoliatus antè omnia non restituitur.*

34 *Venditionis in Contractu, Numeratio pretii, Rei Venditæ traditionem præcedere debet.*

De voluntaria ſequeſtratione, amplius operosè dicere neceſſum non eſt, cùm ea ſecundum conditiones ipſis partibus acceptabiles, permiſſa ſit, vt ex præcedentibus conſtat: A neceſſaria autem, atque judiciali ſequeſtratione, quæ vtroque jure prohibita eſt, caſus memorabiliores exceptos, à me hactenus obſeruatos, & ſparſim hincinde annotatos, hoc capite ſubiiciam. Angelus Peruſinus, ſupra capite 1. relatus, 10. caſus, [1] à regula ſequeſtrationis prohibitiua exceptos congeſſit, quos breuiter referam, & alios ſuperaddam. Eorũ primus eſt, ſi res mobilis petatur, & perſona ſit ſuſpecta de fuga, ex l. ſi fideiuſſor 7. §. finali D. Qui ſatiſdare cogantur, l. ſenatuſconſulto 16. in fine, D. de officio præſidis. Secundus, [2] ſi ſit controuerſia inter Dominum & Colonum, de dominio rei, & Colonus noluerit, vel non potuerit cauere de fructibus ipſius rei, textus in l. litibus 20. C. de agricolis & cenſitis lib. 11. vel, ſi Colonus velit poſſeſſiones conductas deſerere, l. finali C. dicto titulo. Tertius [3] ſi maritus vergat ad inopiam, ſequeſtratur dos, vt mulier ex ea poſſet ſuſtentari, textus in l. ſi cùm dotem 22. §. ſin autem in ſæuiſſimo 8. in caſu poſteriore (duos enim caſus iſte §. complectitur) ibi: ſi vero dotem ita eum diſſipare manifeſtum eſt, vt non hominem frugi oportet, tunc dotẽ ſequeſtrari, D. ſoluto matrimonio. Quartus [4] quoties à ſententia appellatur, & timetur ne fructus diſſipentur, licitè fit ſequeſtratio, textus in l. Imperatores 21. §. fin. ibi: æquum ſibi videri,

fructus

fructus apud sequestres deponi, D. de appellationibus. Hunc casum [5] expressit Andreas Geil, lib. 1. obs. 147. num. 3. eumque tunc demum procedere scripsit, cùm à definitiua, non etiam cùm ab interlocutoria prouocatum est, secutus Panormitanum, in cap. 3. num. 10. extra de sequestratione possessionis & fructuum. Mattheus de Afflictis decisione 269, per totã. Curtius senior in l. vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ, num. 8. & nu. 14. adde textum in d. c. 3. quod aliâs vltimum est, de prohibita sequestratione possessionis & fructuum, vbi Gregorius IX. Pont. Max. indistinctè permisit, [6] ab eo, qui à sententia prouocauit, fruct⁹ possessionis (si dissipétur ab ipso) lite pendente sequestrari posse. sic lata sententia super beneficio, in continenti potest fieri sequestratio possessionis & fructuũ beneficii, nisi reus tenuisset illud per triennium, clementina vnica, ibi: dum tamen triennio pacificè antea ab eo possessum non fuerit, de sequestratione possessionis & fructuum. Speculator lib. 4. titulo eodem, num. 6. Curtius in d. l. vnica, de prohibita sequestratione pecuniæ, num. 14. Quintus [7] si seruus in libertatem proclamet, ita vt dubium sit, an bona ad dominum spectent, tunc bona sequestrantur, textus in l. 1. §. super peculio, ibi: in tuto pro dispositione judicis collocari, C. de assertione tollenda, & in l. vltima, ibi: in sequestro esse oportet, C. quibus ad libertatem proclamare non licet. Ad hunc 5. casum spectat, si dominus seruos malè tractet, multóque fortius si liberos

homines, quod ex Officio suo subuenire debeat, siue id per hunc sequestrandi, siue alium modum fieri possit, textus in l.1.§. quod autem 8.ibi: seruos de Dominis querentes Præfectus audiat, D. de Officio præfecti Vrbi. Adeoque Praxis Imperii obseruat, [8] vt si Domini subditos, ad insolitas Operas, Angarias siue Parangarias præstandas, Vi compellant (*mit vngemessenen, vnd taglichen fronleistungen beschvveren*) subditis contra ipsos Dominos, Mandata pænalia, eaque sine Clausula iustificatoria, in Camera Imperiali decernantur, teste Andrea Geil, lib.1.Obs.17. per totam. Sextus Casus. [9] Fit sequestratio propter Contumaciam, non cauentis de Collatione faciẽda, textus in l.1.§.si frater 10.ibi: Curator portionis eius constituitur, apud quem pecunia collocetur, D.de Collatione bonorum, Iacobus de Arena in Tractatu de sequestris, nu.3. Sic etiam, contra eum, qui in judicio Contumax est, rectè fit sequestratio, Innocentius in cap.1. Extra de sequestratione Possessionis & Fructuum, c.ex literis 2.ibi: possessionem sequestrare, De Dolo & Contumacia, l.si fideiussor 7.§. finali D. Qui satisdare cogantur, & vtrobique Doctores. Sexto huic casui simile est, [10] quod si is, cui relictum est per Fideicommissum, recuset cauere de soluendo Fideicommisso, aut Fideicommissarius nolit cauere Heredi de soluendis Legatis, Magistratus licitè ad talium bonorum sequestrationem procedere possit, textus in l.postquam heres 5.§. Imperator, ibi: Virum bonum eligendum, apud quem

quem vt ſequeſtrem, fructus deponantur, D.vt legatorum nomine caueatur, Mynſing.cent. 5. obſ.35.num.4. Septimus [20] ſi mulier, propter mariti ſæuitiam (vt hic caſus diſtinguatur, à caſu tertio, iam relato) ad eum redire detrectet, & maritus ei idoneè cauere non poſſit, tunc vxor ei nõ reſtituitur, ſed [12] in loco honeſto ſequeſtratur, ibi maximè vbi maritus violentiam ei inferre nequit, textus in l.ſi cum dotem 22.§. ſin autem in ſæuiſſimo 8. in caſu priore, D.ſoluto matrimonio, textus in c.ex tranſmiſſa 8. ibi: alicui probæ & honeſtæ mulieri vſque ad cauſæ deciſionem cuſtodienda committatur, in loco vbi vir mulieri nullam poſſit violentiam inferre, extra de reſtitutione ſpoliatorum, & in c.literas 13.§. finali, ibi: ſi tanta ſit viri ſæuitia, vt mulieri trepidanti, non poſſit ſufficiens ſecuritas præſtari, non ſolùm non debet viro reſtitui, &c. extra eodem titulo. Caſus [13] porrò, in quibus viro vxoris reſtitutio denegatur, his verſibus continentur:

Si non continuit, ſi mox probat impedimentum,
Siq; vir auſterus, Moyſi ſit lege relicta,
Si virgo fuerit, ſeu corrumpi timeatur,
Si non poſſedit iuſtè, vel ſi violenter,
Caſibus his ſeptem domini non reſtituuntur.

Præmiſſos verſiculos, poſt gloſſam in d.c.ex tranſmiſſa, retulit Speculator, lib.2.tit. de Petitorio, poſſeſſorio, & ſpoliatione, §.finali num.2. Cum hoc ſeptimo caſu cõcordat, [14] quod ſi maritus petat vxoris virginis reſtitutionem, matrimonium contractum negantis, puella pariter ſequeſtrari

debeat,donec causa termincetur,textus in c.cum locum 14.in fine,ibi:puellam de cuius matrimonio quęstio ventilatur,in domo,in qua nihil eam timere oporteat, facias honestè detineri, extra de sponsalibus. Idem, si de parentum metu vel violentia timeatur, & puella clam parentibus contradicat, tunc judex ad petitionem sponsi, puellam de potestate parentum eximere, & honesto loco aliquo (puta in monasterium monialium, vel apud honestos consanguineos puellæ) collocare potest, facit textus in c.causam matrimonii 14.ibi.candẽ puellam facias interim in illo monasterio, extra de probationibus, elegans 15 præiudiciũ in hanc sententiã annotauit Andreas Geil,lib.1.obs.112.num.16.& ante eum Raphaël Seilerus (licet ab ipso non citatus) lib.1. præiudiciorum Cameræ Imperialis, mihi folio 204. in fine,estque præiudicium vltimum,de anno 1535. quod ascribere placuit. *In Sachen,&c. ist erkant, das gemelte Sabina, bey einer Ehrlichen, nãmhafften, vnd ansehenlichen frauven (deren sich beede theil in Zeit 4. vvochen, den nechsten vergleichen sollen) sequestriert sein, vnd bey derselben biß zu außfuerung furgenõmener rechtsfertigung, ehrlich erzogen,auch ohn allen argvvon, vnd gefehrlichen zugang vertravvt,vnd endhaltẽ vverden soll, vnd da sich die partheyen in gemelter zeit nicht konnen vergleichen,das alsdann N.Bischoff die gemelte Sabinã obberuerter massen, Zu einer Ehrlichen nãmhafften frauven,also vvie gemeld,vertravvlich Zu-enthalten,versehen vnd verordnen,derhalben auch mandat*

mandat vnd sequester erkant sein sollen. Octauus casus, missus ex primo decreto, qui tantum custodiæ causa mittitur, nec fructus suos facit, si de dilapidatione suspectus sit, medio tẽpore fructus sequestrãtur, c. dilectus 2. in fine, ibi: fructus sequestrari prædictos, extra de sequestratione possessionis & fructuum. Nonus casus: [17] si subsit periculum, ne partes ad arma deueniant, licitè sequestratur possessio, text⁹ in l. æquissimũ, (aliâs incipit, si cuius rei, vel, si vsusfructus legatus) 13. D. de vsufructu. Cur. n. ad arma, & rixam procedere patiatur prætor, (inquit Iulianus) quos potest iurisdictione sua cõpescere? adde l. congruit 13. D. de officio præsidis, cũ similib. Hunc ad casum pertinere puto, constitutionẽ Imperii, de litigiosa possessione sequestranda, de qua infra suo loco dicam. Potest itaq; judex, in hoc nono casu, vtriq; parti prohibere ingressum, ne veniãt ad arma & rixas, Speculator lib. 4. tit. de sequestratiõe possessionis & fructuũ, nu. 3. vers. sed nũquid vbi agitur, per l. eũ qui 7. ibi: abstinere ab administratiõe rerũ tuarũ, donec causa finiatur, C. de suspectis tutoribus. Spectat eò memorabilis decisio Baldi in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, si sc. vnus agat cõtra alterũ ad fundũ cũ fructibus, ac timeatur ne partes deueniant ad arma, an judex possit ad partis alterius suggestionẽ fundum cũ fructibus sequestrare, sine præjudicio jurium vtriusq; partis? decidit Baldus, [18] si cõstet alterũ tantum possidere, nõ debere judicẽ ad sequestrationẽ procedere, sed mãdare aduersario,

ne ad possessionem accedat, aut possessorem turbet, ita intelligens d.l. æquissimum, D. de Vsufructu, vt eo in casu procedat, quo dubitatur, quis possideat, & partes sint in procinctu, non etiam si constet alterum possidere, textus in l.1.§. illud, ibi: hoc interdictum tuetur, ne amittatur possessio, D. vti possidetis. Cum iniquũ foret,[19] quempiam indicta causa, ob contradictionem alterius, possessione sua priuari, Doctores in l. vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ, Schurffius Consil.27. incip. casus talis est, num.5. cent.3. Speculator lib.4. tit. de Libelli conceptione, versic.22. num.14. Curtius senior in d.l. vnica, num.12. sequitur Andreas Geil lib.1. obs.5. nu.6. Casus decimus,[20] fit sequestratio de bonis condemnati ad mortem, Angelus Perusinus in dicto tractatu de sequestris, num.12. Qui tamen casus,[21] extra crimina maiora, & quæ à doctoribus excepta dicũtur (vt sunt læsæ Maiestatis, hæreseos, &c. de quibus vide Iulium Clarum, lib.5. receptarum sententiarum, §. finali, quęst.78. per totam) apud me dubitationem habet, ob id quod damnatorum bona, hodie non publicentur, auth. bona damnatorum, C. de bonis damnatorum. consuetudinibus & statutis in contrarium quibuscunq; cassatis, ordinatio criminalis, Caroli v. Imperatoris, articulo 218. ibi: *Weib vnd Kinder an den Bettelstab, vnd das Gut dem Herren zugeuuiesen.* Item ibi: *die vnd dergleichen Geuuonheit vvir auß Keyserlicher Macht, hiemit aufheben, vernichtigen, vnd abthun, vnd hinfurther nicht mehr eingefuhrt*

gefuhrt sollen vverden. Vndecimus casus [22] fauore religionis, etsi enim propter contumaciam religiosorum aduersarii erant in possessionem ecclesiarum petitarum mittendi, tamen fauore religionis ecclesiæ fuerunt sequestratæ, textus in c.2.extra de dolo & contumacia, summa [23] enim ratio est, quæ pro religione facit, textus in l.sunt personæ 43.in fine, D.de religiosis & sumptibus funerum. Faciũt tradita per Menochium in tractatu Præsumptionum, lib.6.cap.84.nu.18.19. Cuiacius lib.3.obs.22. Casus duodecimus [24] si appellatur ab executione, res mobilis sequestratur, in immobili sequestrantur fructus, textus in l.ab executione 5.ibi: possessori res eadem detrahatur, & sequestro idoneo collocetur, C.quorũ appellationes non recipiuntur. Et hic quidem casus etiam tum procedit, si nulla subsit de fuga, aut dilapidatione suspicio, (quamuis in aliis casibus secus, vt per Doctores in l.si fideiussor 7.§.finali D.qui satisdare cogantur) ea potissimum de causa, quod cessante tali suspicione, nihilominus præsumatur malitiosè, scil. morandæ vel impediendæ executionis causa prouocatum esse, argumento l.2.C.de falsis, Angelus in l.4.§.condemnatum, D.de re iudicata, Curtius senior, in l. vnica, num.7. C.de prohibita sequestratione, versic. nam licet aliâs requiratur suspicio fugæ. Posse [25] verò de jure appellari ab executione sententiæ, probat c.quod ad consultationem 15.§. finali, extrà de re iudicata, c.venientes 19.& quæ ibi traduntur, extra de jureiurando. Ea enim in-



terposita, nō exequetur judex suam sententiam, l.vnica, D.nihil nouari appellatione pendēte, vel interposita, Speculator lib.2. tit.de executione sententiæ, §.finali, in principio. Ad hunc casum refero, quod si in executione sententiæ, non quidem prouocetur, sed aliâs sit scrupulus, vel incidat mora, tunc victor possit petere rem de qua litigatur sequestrari, d.l.ab executione, C.quorū appellationes non recipiuntur, & l.ab executione, 4.in princip.D.de appellationib.vide Doctores in l.si oleum 9.D.de dolo malo, Mynsingerus cent.5.obs.35.nu.5. idem, si executor modum in exequendo excesserit, per ea quæ tradit Andreas Geil, lib.1.obs.147.nu.7.vers.secundò fallit. Decimus tertius, [26] si sit quæstio de possessione, nec possit probari, quis possideat, Hostiensis in summa, extra de sequestratione possessionis & fructuū, allegans ad id l.in sequestro, puto quod voluerit allegare l.interesse 39. D.de acquir.posses. Decimus quartus, ob vitādum scandalum, c.per vestras 7. extra de donationib.inter virū & vxorem, ca.1.extra de sequestratione possessionis & fructuū, c.1.& 2.de jure patronatus. Huc faciūt de timore [27] futuri scādali (ratione cuius, à regulis juris cōmunis receditur) tradita per Menochiū in cōmentariis de adipiscēda possessione, remedio 6.& vlt.nu.13.& inter alia, illud celebre est, quod etsi secundū dispositioné vtriusq; juris, spoliatus sine cūctatione, atq; omni mora restituēdus sit, textus in l.si quis in tantam 7.totoq; Cod. titulo, vnde vi, & toto tit.extra de restitutione spoliatorum; tamen [28] in casu scandali imminētis, nequa-

quam restituatur, Fraciscus Ripa in l. naturaliter 12.§.nihil cōmune, n.76. D.de acquir.poss. Speculator lib.2.tit. de petitorio,possessorio,& spoliatione,§ fin.nu.1.versic. nonus est. Item,quod nec summo pontifici obediendum, si ex tali obedientia futurum esset scandalum,Crauetta cōsil. 264.n.7. Menochius Remed.1. de recuperanda possessione,n.21.& 22.Curtius senior in l.vnica, C.de ꝓhibita sequestratione pecuniæ, n.13.Plotus in repetitione l.si quādo 9.n.94. C.vnde vi. 15. Casus, Ne impediatur vēdendi commoditas, supradicta l.si oleū 9. D.de dolo malo. Decimus sextus[30] Episcopi nostri temporis, faciūt fructus sequestrari indifferēter, si inter aliquos de beneficio ecclesiastico cōtenditur, maximè cum ipsimet inde referunt cōmodum, ꝙ plerunq; potius sumunt à capite,quàm à jure,quare retractādum est,cum nec ipsius Papæ, atq; ita summi Episcopi arbitrio in hoc stetur,c.1.extra de sequestratione possessionis& fructuū,verba sūt Cardinalis Hostiensis in sua summa,extra eod.tit.in quæstione, an licita sit sequestratio,n.4.in fin. 17.Casus,[31] si subsit rei litigiosæ interitus, hunc casum notauit Andreas Geil, lib.1.obs.148. per integrā,quò lectorē breuitatis gratia remitto. 18.[32] Lata sententia in judicio vniuersali puta aliquem esse heredem, omnes res de quibus dubitatur, an hereditariæ sint,sequestrari possint,Bald. in l.vltima, C. quibus ad libertatem proclamare non licet, Curtius in sæpedicta l.vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ, nu.12.versic.sexto fallit.

Decimus nonus [33] si venditor nolit tradere rem venditam, nisi priùs habeat pretium, emptor verò nolit dare pretium, ante rei venditæ traditionem, atque ita alter non confidat de altero, licitè deuenitur ad sequestrationem, textus in l. si soluturus 39 §. finali D. de solutionibus. Quo quidem casu, si non confidunt inuicem, fit sequestrum momẽtaneum hinc inde, d. l. si soluturus, Curtius loco proximè citato, versic. septimò fallit. De natura [34] tamen contractus est, vt prius numeretur pretium, si emptor prius nominatur, quàm venditor, l. 1. D. de rerum permutatione, & quæ ibi tradũtur, Baldus in c. 1. extra de sequestratione possessionis & fructuum. Præter 19. enumeratos, posui alios duos casus in capite præcedenti, versic. atque hæc quidem, vbi vide. Plures casus exceptos reperiri posse non dubito, eaque de causa, Curtium loco antedicto, num. 14. versiculo, cæteras fallentias traditas, scripsisse opinor, penè regulam sequestrationis permissiuam, ob casuum exceptorum pluralitatem, constituendam fore. Quo de tamen ego amplius inquirere desino, & ad sequentia propero.

CAPVT IIII.

Sequester, quando pro Possessore habeatur. Et, an sequestratione facta, amittatur rei sequestratæ possessio.

SVMMARIA.

1 *Sententia l. interesse, de acquir. possess.*

2 Seque-

2 *Sequestris possessio, partibus nihil prodest, ad vsucapionem complendam.*

3 *In voluntaria sequestratione, an in dubio amittatur possessio.*

4 *In sequestratione necessaria, sequester non possidet.*

5 *Sequestratione interposita, cui competant remedia possessoria ratione rei sequestratæ.*

Sequester, si cadat à possessione rei sequestratæ, habet actionem ad eam recuperandam. ibidem.

6 *Aliud possidere, aliud in possessione esse.*

7 *Possessionis commodum non transit ad sequestrem.*

8 *Monacho litiganti cum Abbate, expensæ litis, & alimoniæ, à monasterio subministrandæ.*

AD huius quæstionis resolutionem, facit elegans responsum Iuliani, [1] in l. interesse puto 39. D. de acquirenda possessione, cuius hæc est sententia: possessionis depositio, siue sequestratio, fit altero de duobus modis. Primò, intuitu possessionis omittendæ, ibi: nam si omittendæ possessionis causa, & tunc neuter litigãtium possidet, sed ipse sequester (quæ tamen [2] sequestris possessio, nihil partibus ad vsucapionem, vel incipiendam, vel complendam prodesse potest, ibi: ad vsucapionem possessio.) Secundò, custodiæ causa, quo casu possessio remanet penes possidentem, & ad vsucapionem victori prodest, d. l. interesse, ibi: at si custodiæ causa. Hoc in casu lo-

quitur l.licet 17. D.depositi, l.si soluturus 39. D. de solutionibus. In dubio autẽ, an sequester possidere dicendus sit, controuersum video. Sunt.n. plerique qui cẽseant, in dubio sequestrem possidere, Curtius senior post alios, in l.vnica, C.de prohibita sequestratione pecuniæ, quæstione 5.vers. 3.nu.29.per textum, in supradicta l.interesse puto, D.de acquirenda possessione. Mihi videtur ea ipsa Lex planè contrarium velle, sc.non penes sequestrem, sed penes primum possessorem remanere possessionem: & iuuatur mea sententia expressis verbis d.l.interesse, ibi: si omittendæ possessionis causa, & hoc apertè fuerit probatum. Nam ex quo jurisconsultus probationẽ requirit, quod sequestratio omittendæ, & in sequestrem transferendæ possessionis causa, facta sit, consequens est, id nullo modo præsumendum esse. Facit huc, quod scripsi infra, cap.9.n.15. quod si non partium voluntate, sed judicis præcepto, fiat sequestratio (vt in casibus cap.3. commemoratis) magis est vt dicamus, sequestrem nullo modo possidere, cum judex non præsumatur partibus, per interpositã sequestrationem, possess. auferre voluisse, Doctores communiter in d.l.licet, & in d.l.interesse, quos sequitur Matthęus Vuesenbecius in Paratit. D.depositi, n.6. cum relata hac Iuliani distinctione, penè in idem recidit, quod passim à Doctoribus traditum est: voluntariam [3] sequestrationẽ, puta ex consensu & voluntate partium factã (modo præmisso) priuare possessorem sua possessione: interim.n. dum res est penes sequestrem,

queſtrem, neq; actor, neq; reus poſſidet, d.l.licet §. rei depoſitæ, ibi: nā tum ſequeſter poſſidet, D.depoſiti. Neceſſariam [4] verò ſiue judicialem ſequeſtrationem, ex diſpoſitione legis, vel judicis authoritate interpoſitam, vt quæ cuſtodiæ tantū cauſa facta cēſetur, vel neceſſitate hoc poſtulante, vt in materia l.æquiſſimum, D.de vſufructu, nullo modo transferre poſſeſſionē, ſed quod primo poſſeſſori, ſalua poſſeſſio maneat, & integra, Cynus, Baldus, & Salicetus, in l.vnica C.de prohibita ſequeſtratione pecuniæ, Canoniſtæ in c.2. extra eod.tit. Barr.& cōmuniter Doctores, in d.l. intereſſe, D.de acquir.poſſeſſ. Doctores in c.examinata.de judiciis. Curtius in d.l.vnica, n.71. Andreas Geil, li.1.obſ.5.n.10.obſ.148.n.9.& in tractatu de arreſtis imperii, c.12.n.6.Mynſing.cenr.5.obſ.35.nu.3.Cuiac.lib.9.obſ.c.33.vtilitas huius inueſtigationis ea eſt, quod [5] ſi ſequeſter poſſideat rem ſequeſtratam ipſi; ſin penes partē poſſeſſio maneat parti; recuperandæ, vel retinendæ poſſeſſionis interdictum, in caſu ſpolii, vel turbatę poſſeſſionis cōpetat, vt in ſimili de arreſtis ſcripſit Andreas Geil, dicto c.12.n.7.nā & illud extra controuerſiam eſt, quòd ſequeſter caſu, quo pro poſſeſſore habetur, ſi à poſſeſſione rei ſequeſtratę cadat, habeat actionē ad ipſam recuperandam, l.poſtquā heres 5.§. Imperator, D.vt legatorum nomine caueatur, Iacobus de Arena in tractatu de ſequeſtris, nu.18. etſi verò certis caſibus (non ſemper, vt antè dixi, nam ſequeſter quidem durante ſequeſtratione, ſemper in poſſeſſione eſt,

non autem semper possidet, duo enim [6] hæc diuersa sunt, textus in l. si quis ante 10. D. de acquirenda possessione, facit l. 3. D. de officio prætoris) possessio [7] apud sequestrem fit, non tamen commodum possessionis, quod ante sequestrationem habebatur, Baldus in c. 1. num. 13. extra de sequestratione possessionis & fructuum, Salicetus in l. vnica C. de prohibita sequestratione pecuniæ, nu. 2. quò fit, vt si pendente sequestro, non habeat iste, cuius fructus sunt sequestrati, vnde se alimentet, ex fructibus sequestratis alimentari debeat & possit, textus in l. is cui 5. §. qui legatorum 22. D. vt in possessionem legatorum, quam ad id allegant Bartolus, Romanus, & doctores in l. si fideiussor 7. §. finali, D. qui satisdare cogantur; debebuntque tot fructus, sufficientes ad litem & alimēta sibi relaxari arbitrio judicis, l. finali, ibi: litis sumptus & alimoniæ homini subministrentur, C. de ordine cognitionum. simile notat Salicetus in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, in monacho [8] litigante cum abbate, qui debet habere expensas litis, & alimoniæ, à monasterio, ne cogatur litem deserere, & ab illa desistere, textus in c. ex parte 11. in fine, ibi: de rebus monasterii, expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari, extra de accusationibus, Curtius senior in d. l. vnica, num. 10. & 11.

CAPVT

CAPVT V.

Quæ requirantur, vt Iudex licitè ad sequestrationem procedere possit.

SVMMARIA.

1 *Requisita 4. vt licitè ad sequestrationem deueniatur.*
2 *Causæ cognitio, requirit citationem partis.*
3 *Requisita antedicta, in casu periculi imminentis, non tam strictè attenduntur.*
4 *Iudex non debet ad sequestrationem procedere, nisi sumptis prius informationibus.*
5 *Jura vigilantibus scripta sunt.*
6 *Stulti non debent melioris esse cõditionis, quàm Periti.*

CVm sequestra, regulariter vtroq; jure prohibita sint, vt supra capite 2. dictum est; eapropter judex nõ facilè ad sequestrationem procedere debet, si alia ratione petenti sequestrum succurrere possit. Quòd si vel imminentis scandali, vel armorum timor, & periculum subsit, aliúsue casus occurrat, quo licitè ad sequestrationem deueniat; attamen, ne tunc quidem viam sequestrandi eliget, nisi 4. [1] sequentia concurrant. Primò, quod sibi constet minimùm summariè, de jure eorum, qui sequestrum fieri postulant, *das die schuldgleubiger*, *behaabung thun*, *vnd die schuld liquidieren.* Secundò, vt vocetur is, in cuius præiudicium postulatur sequestratio, cùm

enim sequestratio magni præiudicii sit, atq; causæ cognitionem requirat, consequenter etiã citationem partis grauatæ, iuxta cõmunem theoricam, quòd quæcunque requirunt [2] causæ cognitionem, pariter exigant partis citationem, textus in l. nec quicquã 9. §. vbi decretum, ibi: quæcũq; causę cognitionẽ desiderãt, D. de officio proconsulis, & in l. nam ita diuus 39. ibi: adhibitis etiã his, qui cõtradicunt, id est qui lęderentur, D. de adoptionibus, vtrobiq; Doctores, & Andreas Geil, li. 1. obs. 46. n. 10. Curtius senior, in l. vnica, n. 40. C. de prohibita sequestratione pecunię, vide quę scripsi infra c. 14. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Tertio, vt petentes sequestrum, id ad juris sui vel debiti cõseruationẽ faciant, non causa calumniæ, vel æmulationis, atq; id coram judice jurato affirment, facit quod in casu conuerso scripsit Andreas Geil, lib. 1. obs. 148. nu. 6. Quarto, quòd ex persona illius aduersus quem petitur fieri sequestrũ, appareat suspicio dilapidationis, fugæ, scandali, (licet [3] in casu imminentis fugæ, præcedẽtia requisita forsan non tam strictè obseruentur, vt patebit ex sequentibus) textus in l. Imperatores 21. §. fin. D. de appellationibus, l. si cum dotem 22. §. sin autem in sęuissimo, 8. D. soluto matrimonio, Mynsing. cent. 2. obs. 11. vbi in fine subiicit periculo subsistente, etiam in Camera Imperiali talia requisita non perpetuo attendi. Quod si judex [4] in casu scandali, sequestrum, vel prohibitionem decernat, ante omnia sumere debet futuri scandali informationes, scil. scandali timorem subesse,

Decius

Decius in l. vltima, num. 6. C. de edicto Diui Hadriani tollendo, & in consil. 366. num. 13. Marsilius singulari 543. incip. maleficiis, versiculo, item aduertas. & post eos Menochius in commentariis de adipiscenda possessione, remedio 6. & vltimo, num. 14. alias facilè possessori vigilanti, qui ignauum præuenit, ita sequestrando, & prohibendo, non sumptis prius informationibus, graue præiudicium adferretur, cui tamen jura alias magis fauorabilia sunt, vtpote [5] vigilantibus scripta, l. pupillus 24. in fine, D. quæ in fraudem creditorum, & vigore quorum, non debent stulti, [6] & ignaui, melioris esse conditionis, quàm vigilantes, & periti, l. 4. D. quod vi aut clam. nec tenetur judex assentire alleg
anti periculum scandali, & petenti sequestrationem, nisi in animo suo sedeat, illum contra quem petitur, suspectum esse, animo iustificato ex actis, Curtius in d. l. vnica, aliique per ipsum relati, num. 32. reliqua huc pertinentia, de sequestrando, siue capiendo debitore fugitiuo, dicam in capite sequenti.

CAPVT VI.

Quæ requirantur, vt debitor, tanquam de fuga suspectus capi possit.

SVMMARIA.

1 *Sequestratio fit, vel de re, vel de persona.*

2 *Quotidiana plenius attingenda.*
3 *Suspectus de fuga capi vt possit, quæ requirantur.*
4 *Sequestrum rei, vel personæ impetrans, an debitum necessario probare debeat per publicum instrumentum.*
5 *Creditor si sciens prudensque cum suspecto contrahat, capturæ locus non est.*
6 *Volenti non fit iniuria, neque dolus.*
7 *Non fraudantur, qui sciunt & consentiunt.*
8 *Mulier obærato marito scienter nubens, constante matrimonio, dotem non repetit.*
9 *Contrahens cum alio, conditionem eius scire præsumitur.*
10 *Statur juramento creditoris, causam suspicionis, post contractum superuenisse asserentis.*
11 *Tacendo sibi præiudicat creditor, qui conditionem sui debitoris non ignorans, judici manifestare negligit.*
12 *Suspiciones Fugæ, vt plurimum judicis arbitrio committuntur.*
13 *Fugæ suspicio, judici probanda.*
14 *Captura maximi præiudicii est.*
15 *Creditoris juramento, an stetur quoad probandam suspicionem fugæ.*
16 *In magno, non etiam exiguo debito capturæ locum esse.*
17 *Fama & existimatio vitæ æquiparatur.*
18 *Modicum non curat prætor.*
19 *Sequestratio remedium extraordinarium, ad quod non, nisi in subsidium, deuenitur.*

Seque-

SEquestratio [1] bifariam fit, in rem & in personam; de priore hactenus, vt cui propriè sequestrationis nomen competit, & in sequentibus plura. De ea verò quæ in personam fit, hoc est, de prehēsione siue captura debitoris de fuga suspecti, cum ea admodum frequens in foro, eóque (juxta consilium jurisconsulti in l. legaui. 25. in principio, vbi quotidiana [2] plenius attingenda admonet, ff. de liberat. leg.) silētio prętermittenda non sit, hoc capite nonnulla subiiciā. Vt igitur de fuga [3] suspectus debitor licitè capi possit, sequētia requiruntur. 1. quod saltem & ad minus summariè, judici fiat fides de credito, sicut in simili dictū est supra de sequestratione rei litigiosæ, c. 5. n. 1. 2. quod debitor à tēpore contractus, non antè, deteriorauerit conditionem suam. 3. quod ea deterioratio fuerit magna. 4. quod non possideat immobilia, in jurisdictione illius judicis, vel mobilia quidem sufficientia, quæ tamen facilè possent occultari. 5. quod creditor à tempore scientiæ, institerit apud judicem, de debitore capiendo. 6. vt sit suspectus de fuga, per exteriores præsumptiones & indicia. His concurrētibus, haud difficulter impetrari capturam & sequestrum (aliis per me infra additis) tradunt Doctores communiter in l. sciendum 15. D. qui satisdare cogantur, & in l. si ab arbitro 10. D. eodem titulo, plures relati à Curtio seniore in l. vnica, nu. 41. versic. plura ex his ponit. C. de prohibita sequestratione pecuniæ. Præmissorum requisitorū primū, vt scil. de debito constet, probat

Andreas Geil lib.2. obseruat.44. num.6. cum pluribus ibidem allegatis. Circa quod requisitum, controuerti video, an præcisè requiratur, quod sequestrum impetrans, probet suum debitum per publicum instrumentum? Bart.in l.litibus 20.in fin.C.de agricolis & censitis lib.11.putat fieri nō posse sequestrationem de re alicuius, nisi creditor ostendat publicum instrumentū sui crediti, aliâs sequestrationē non tenere; pari modo, & tāto magis, si procedatur ad capturam, siue sequestrationem personalem. A Bartolo iam relato, non dissentit in hoc puncto Baldus, in l.consentaneū, C.quomodo & quando judex, &c. & in l.vlt.C.de edicto D.Adriani tollēdo. Verùm, rectius alii, qui vt liquidationē debiti requirant, attamē alternatiuè, vel per instrumentū publicū, vel per chyrographum debitoris, vel etiā per testes, probationem admittunt, Iason & Doctores in l.de pupillo 5.§.si quis riuos, D.de operis noui nunciatione, idem Iason in §.1.nu.55.Institut.de actionib. Andreas Geil dicta obs.44.n.6. Curtius in d.l.vnica, C.de prohibita sequestratione pecuniæ, n.49.50.51.53. Requisitū 2. quod sc.tēpore contractus, debitor opinione creditoris pro idoneo & soluendo habitus sit (nā si eo tempore facultatibus lapsus, vel de fuga suspect⁹ fuisset, idq; creditor non ignorasset, sed sciens prudensq; cū suspecto contraxisset, capturæ nō esset locus) secutus est Bart.in l. si is à quo 3.§. fin. D.vt in possessionem legatorū, & in l.qui bona 13.§. de illo 6.per illū text.ibi: ab initio vitiosas ædes cōduxerunt, &

ſunt, & habent quod ſibi imputent, D. de damno infecto, ſcienti enim & voléti [6] nõ fit iniuria neque dolus, text. in l. 1 §. vſq; adeò, D. de iniuriis, l. cum donationis 34. ibi: nec vnquã volenti dolus inferatur, C. de tranſactionib. c. ſciente 27. de regulis juris in 6. Nec [7] fraudantur qui ſciunt & cõſentiũt, l. nemo 145. D. eod. tit. Spectat huc, quod alibi traditum eſt, ſc. mulierem [8] obærato marito ſcienter nubenté, conſtante matrimonio dotem non poſſe repetere, Iaſon in l. ſi conſtante 24. nu. 170. D. ſoluto matrimonio, cuius ſententiã vtpotè receptiorẽ retulit, & in puncto juris veriorem dixit, atq; ſecutus eſt Andreas Geil, li. 2. obſ. 84. n. 6. Qui [9] enim cum alio contrahit, ſcit vel ſcire debet cõditionem eius, quo cũ contraxit, l. qui cum alio 19. in princ. D. de reg. juris, aut ſi ab eo deceptus fuerit, diſcat cautius mercari, l. inciuilem 2. C. de furtis, facit l. 3. in fine, ibi: quia qui admiſit eum fideiubentem, idoneum eſſe comprobauit, D. de fideiuſſoribus. Quò fit, vt ſciuiſſe præſumatur conditionẽ debitoris, adeoq; ſtet pręſumptio cõtrà creditorẽ, eum ſc. debitorẽ conditionẽ non ignoraſſe. Quod ſi creditor, tẽpore quo ſecutus eſt fidẽ ſui debitoris, eiuſdẽ conditionem probabiliter ignorauit (vt ſi à debitore perſuaſus, crediſſet eum tempore cõtracti debiti multa mobilia poſſidere, omniq; ſuſpicione carere) tũc eo in ſtatu debitorem habebit judex, ac ſi illius conditionẽ ignoraſſet creditor, ita vt adhuc ſequeſtro & capturę locus eſſe poſſit, ita Menochius li. 2. de arbitrariis judicũ, caſu 87. n. 16, & 17. ac [10] ſtabitur

juramento creditoris, causam suspicionis post cōtractum superuenisse asserentis, Baldus & Salicetus in l. 1. C. de rebus creditis, Curtius senior in l. vnica, num. 45. & 46. versic. addo quoque. C. de prohibita sequestratione pecuniæ. 3. requisitum sequitur Menochius ante dicto casu 87. num. 18. 4. requisitum, quod debitor non possideat immobilia, vel mobilia quidem sufficientia, quæ tamen facilè possent occultari, infra capite proximo latius attingam, vbi dicturus sum de iis, quæ aliquem suspectum reddunt. 5. requisitum, quod post talem grauem mutationem debitoris, ipse creditor rei conscius conquestus sit, hanc rationem habet, quod nisi creditor conquestus fuerit, tacendo [11] sibimet videatur detrimentum attulisse, textus in l. si creditores 31. §. planè in recenti, ibi: si probētur posse eum in hereditate morari, non debebit post multum temporis ad hanc necessitatem compelli, D. de priuilegiis creditorum, l. si ab arbitro 10. ibi Iason, n. 3. Socinus n. 78. D. qui satisdare cogantur, qui affirmarunt, tempus huius taciturnitatis, [12] vtpotè à jure non definitum, judici arbitrarium esse, argumento, l. 1. D. de jure deliberandi, secutus est Menochius sæpe dicto casu 87. num. 19. versic. recedet tamen ab hac regula. 6. requisitum, de signis & pręsumptionibus, quibus suspicio fugæ probetur, id totū positum est in iudicis arbitrio, vt docuit Menochius loco iam citato, num. 8. & multis sequētibus, Iason in l. si fideiussor 7. §. vlt. num. 25. D. qui satisdare cogantur, Alexander in

l. 2. n.

l.2.n.22.D.ſoluto matrimonio, Tiraquellus in l. ſi vnquam 8.in verb.omnia vel partem,nu.31. C.de reuocandis donationibus. 7. requiſitum præcedentibus ego adiungo, atque eo antecedẽs ſextum declaro,ſcil.non tantum creditum ipſum ſummariè iudici probandum, vt in 1. requiſito dictum,ſed etiam ſuſpicionem [13] fugę:cum enim prehenſio atque [14] captura, nõ modici vel leuis, ſed maximi præiudicii ſit (fit namque iniuria perſonæ, Curtius in ſupradicta l. vnica C.de prohibita ſequeſtratione,num.43.) vt quę apud graues & honeſtós viros infamet, Iaſon in l.4.§.condemnatum,num.31.D.de re iudicata: ſanè ſuſpicio talis fugæ, ante decretam capturam iudici omnino probanda eſt. In quo quidem, etſi creditoris [15] iuramento ſtandum eſſe cenſuerit Andreas Geil, d.obſ.44.nu.7. ſunt tamen plerique qui ſuſpicionem fugæ debitoris, ſolo iuramento creditoris (ad effectum capturæ) probari diffiteantur,referente Curtio,loco prædicto,nu.42. quare malim ego cum Menochio, quoad 7.hoc requiſitum,diſcreti judicis arbitrio committere, an juramento creditoris,necnè ſtandum eſſet,vt is inſpecta qualitate creditoris,& debitoris, ſequeſtrum & prehenſionem, vel decerneret, vel denegaret, ita Menochius dicto caſu 87.num.6. in fine. 8. requiſitum pariter addo, vt præcedentia omnia de ſuſpecto debitore, vel prehendendo,vel ſequeſtro contra eum decernendo,in magno, [16] non etiam exiguo debito obtineant, ita vt attẽta debiti exiguitate, capturæ locus eſſe

non debeat, ne ob minimum quoduis debitum, famæ[17] & existimationis (quæ vitæ æquiparatur l.justa 9. in principio D.de manumissis vindicta, l.isti quidem 8. in fine, D.quod metus causa gestum, vbi fama vitæ præponitur) læsionē atq; iniuriam debitores patiantur. Id sensisse reperio quoque Menochium in dicto casu 87.n.16.& faciunt huc tradita per Curtium in d.l. vnica, n.38. & 39. In cuius confirmationē seruit id, quod vulgo dicimus, de modico,[18] non curare prætorem, textus in l.scio 4.D.de in integrum restitutionib. maximè vt ordinarii juris limites excedat. Cùm verò[19] sequestrationem & prehēsionem, in huiusmodi ciuilibus causis & debitis contra dispositionem juris communis introductam, adeoque remedium extraordinarium esse, ad quod non, nisi in subsidium deueniatur, omnes fateantur, vt & idipsum de vtroq; jure nullā dubitationem habet, dicto titulo, C.de prohibita sequestratione pecuniæ, & extra atque in clemētinis eodem. Tantò minùs dubitandum quoque est, quin in modicis debitis discretus judex non facilè ad capturam, vel prehensionem inclinare debeat; cæterùm, quod magnum vel modicum debitum sit dicendum, facilè colliget lector ex traditis per Menochium lib.2.de arbitrariis judicum, casu 72. quæ huc referre (cum opera eius sint in omnium manibus) supersedeo.

CAPVT

CAPVT VII.

Quibus ex caußis, debitor ſuſpectus dici debeat, & poßit.

SVMMARIA.

1 *Pro debito ciuili, debitor non eſt incarcerandus.*

2 *Carcer pœnalium hominum eſt detentio.*

3 *De relaxando debitore, ex cauſa ciuili capto, in Camera Imperiali mandata cum clauſula decernuntur.*

4 *Debitor de fuga ſuſpectus, licitè prehenditur & carceratur.*

5 *Cauſæ propter quas debitor ſuſpectus dicitur.*

6 *An ſolus defectus bonorum immobilium, debitorem faciat ſuſpectum.*

7 *Probitas atq; integritas debitoris, defectum bonorum ſupplet.*

8 *An ob exiguitatem bonorum immobilium, debitor dici debeat ſuſpectus.*

9 *Poſſeſſor vilis ceſpitis terræ, non habetur pro poſſeſſore immobilium.*

10 *Statutum loquens, de poſſeſſione domus, non extenditur ad eum, qui viliſſimam domunculam poſſidet.*

11 *Authent. præterea C. vnde vir & vxor, procedere etiam in dote exigua.*

12 *Alienatio rerum eccleſiæ, non intelligitur de iis quæ exiguæ & modicæ vtilitatis ſunt.*

13 *Possidens immobilia pauca, possidenti omnino nulla aequiparatur.*

14 *Qualitas personae debitoris, causat suspicionem.*

15 *Mali mores, non reddunt indifferenter debitorem suspectum.*

16 *Semel malus, semper praesumitur malus, in eodem genere delicti.*

17 *Statutum, quod credatur libris mercatorum, quomodo intelligendum.*

18 *Miles, qui semel militiam deseruit, in futurum praesumitur eam deserturus.*

19 *De praeterito, praesumitur in praesens.*

20 *Furiosus qui semel fuit, adhuc talis esse, & durare praesumitur.*

21 *Causae suspicionis, an copulatiuè requirantur.*

22 *Quaestio de debitore suspecto, maiori ex parte, in judicis arbitrio posita.*

23 *Paupertas sola non facit aliquem suspectum.*

24 *Paupertatem, & ignobilitatem, nemo sapiens mala dixerit.*

ETsi regulariter, pro debito [1] ciuili, capiendus vel incarcerandus debitor non sit, textus in l. nemo carcerem 2. C. de exactoribus tributorum lib. 10. & in l. non est singulis 176. D. de regulis juris, carcer [2] enim paenalium & noxiorum hominum est custodia, textus in l. 1. C. de custodia reorum. Adeò, vt in [3] Camera Imperiali, quando aliquis non suspectus de fuga, ex causa ciuili captus est, mandata cum clausula, de relaxando captiuo,

ptiuo, contra Principes & Status immediatè imperio subiectos decernantur, teste Andrea Geil, lib.1.obs.1.num.24.& obs.26. per integram, vbi præiudicia retulit: attamen, quia debitorem [4] de fuga suspectum, prehendi, & cæteris concurrentibus carcerari posse, capite proximo demonstraui, non alienum erit etiam causas commemorare,[5] propter quas debitor suspectus dici & debeat, & possit. Earum autem à Doctoribus 3. præcipuè traduntur. 1. paupertas. 2. mali mores. 3. improbitas anteactæ vitæ, glossa & Doctores in l. si fideiussor 7.§.finali D. qui satisdare cogantur, Iacobus de Arena in tractatu de sequestris, quæstione 7. num.6. Andreas Geil, lib.1.obs.148.n.7. Primam causam, paupertatis sc. Doctores ita interpretati sunt, si debitor omnino nulla possideat immobilia, argumento l. sciendum 15. in principio, ibi: possessores immobilium rerum, satisdare non compelli, D. qui satisdare cogantur. Ita Bartolus, Angelus, & reliqui, in d.l. si fideiussor.§.finali, eodem titul. Speculator lib.4.tit. de sequestratione possessionis & fructuum, num.2. An autem [6] ob solum defectum bonorum immobilium, debitor suspectus dici queat, controuersum est. Nonnulli existimantibus suspectum dici posse, è quorum numero est Speculator d.n. 2. ibi: & melius. Aliis interim hoc ipsum judicis arbitrio committentibus, vt is inspecta & perpensa personæ qualitate, circa causandam suspicionem, vel sequestrationi locum det, vel eam petenti deneget. Ita Baldus in d.l. si fideiussor, §.

finali, D. qui satisdare cogantur, quem refert & sequitur Curtius senior in l. vnic. C. de prohibita sequestratione pecuniæ, num. 35. vers. ego sequor. Breuiter, hæc posterior opinio scil. solum defectum bonorũ immobilium debitorem non reddere suspectum, verior, magisque recepta est, quam etiam, maximè cõtra Fulgosum, rectè tuetur & propugnat Menochius lib. 2. de arbitrariis judicum casu 87. nu. 9. 10. & sequentib. inquiens fieri posse, vt debitor omnino nulla possidens immobilia, possideat mobilia multa, quę non facilè exportari possent, quęuè eum minimè suspectum redderent, allegans Baldum, Aretinum, & Socinum in l. Creditor 28. D. de rebus creditis. Posset quoq; tanta esse debitoris [7] probitas, atq; fides, nedum vt ob defectum bonorum immobilium suspectus dici minimè deberet, Iason in l. 1. n. 18. D. qui satisdare cogãtur, quem cõsulendo in terminis secutus est Ioannes Neuizanus cõsilio 52. nu. 19. sed etiam ad juratoriam cautionem admitti posset, vt infra suo loco dicam. Quod si debitor; non quidem omnino nulla, sed aliqua, verùm pauca [8] & exigua immobilia possideat, eaque tot ac tanta, quę solutioni debiti satis superq; sint, tunc suspectum dici non posse extra controuersiam est. Sin verò exoluendo debito non sufficiant, eo in statu iudicandus erit debitor, ac si omnino immobilia possideret nulla, cùm parum & nihil hoc casu æquiparentur, juribus vulgatis, Menochius antedicto casu 87. mihi numero 13. Inde possessor [9] vilis cespitis terræ, in causa magnæ

gnæ quantitatis pecuniæ, non habebitur pro possessore immobilium, glossa in d.l.sciendum, D.qui satisdare cogantur.Sic in simili,statuto disponente, quod possidens [10] domum, non debeat tanquam suspectus detineri; qui domunculam vilissimam possiderit, statuti beneficio non gauisurum scripsit Angelus in §. hinc nobis nouella de heredibus & falcidia, constitutione prima. Amplius scripserũt Baldus, Salicetus, & Doctores in auth. [11] Præterea, C.vnde vir & vxor, dispositionem illius authenticæ, (vigore cuius si matrimonium sit absque dote, coniunx autem premoriens locuples,superstes verò laboret inopia, succedit superstes vna cum liberis communibus alteriusuè matrimonii, in partem ibi taxatam) non solùm in muliere indotata omnino, vt ea partem capiat ex hereditate mariti prædefuncti, sed etiam tum obtinere, si dotata quidem vxor fuerit, sed dote nimiũ exigua. Sequutos eos Curtius in l. vnic. C.de prohibita sequestratione pecuniæ, num. 36. pari modo, etsi res immobilis ecclesiæ, extra casus exceptos, alienari nequeant,auth.hoc jus porrectũ,C.de sacrosanctis ecclesiis: tantò magis si præstiterit juramentum, nihil alienare Romano Pontifice inconsulto,tamen vtroq; casu res [12] mobilis exigua, & modicæ vtilitatis, quin eam alienare non comprehendetur, Panormitanus fusè in c.vt super 8.§. possessiones verò, per illum textum, extra de rebus ecclesiæ non alienandis. Quæ omnia eo spectant,vt debitor [13] pauca immobilia,(debitoque

exoluendo insufficientia) possidens, eo in statu iudicandus sit, ac si omnino possideret nulla, & consequenter idem de illo, quod de hoc statuendum: ita vt, secundum supradicta, discretus judex, inspecta personæ qualitate, & immobilium exiguitate, prehensionem contra debitorem vt suspectum, vel decernere, vel contra non suspectũ denegare debeat, & possit. 2. & 3. causam, de malis moribus, tam præsentibus, quam præteritis, hoc est, de anteacta pessimè vita, quod concernit: etsi minimè dubitandum, quin [14] ex personæ qualitate, suspicio perpendatur, item ex timore fugæ, vel recessus, vel quod dolo desierit possidere; attamen rectè scripsit Curtius in supradicta l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, num. 34. indistinctè verum non esse, quod [15] mali mores reddant aliquem suspectum ad sequestrandum; nisi sint mali mores directè ordinati ad fugam, vel dilapidationem, inferentes secum effectum suspicionis: de aliis enim moribus curandum non est, facit textus in §. finali, ibi: suspectum enim eum putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit, item ibi: qui fraudulenter tutelam administrant, Institutionibus, de suspectis tutoribus, & in l. si cui 7. §. iisdem, D. de accusationibus. Et de his quidem, qui ad fugam ordinati sunt, rectè dicetur, quod [16] semel malus semper præsumatur malus, in eodem scil. genere delicti, c. semel malus 8. de regulis juris in 6. Iason in l. 1. num. 23. D. qui satisdare cogantur, Baldus in auth. ei qui iurat, in principio, C. de bonis autho-

authoritate judicis possidentis, Romanus in l. 2. D. soluto matrimonio. Vnde,[17] stante statuto, quod credatur libro mercatoris, qualia statuta valere extra dubium est, per tradita ab Andrea Geil, lib. 2. obser. 20. num. 6. Menoch. lib. 2. de arbitrariis judicum, casu 91. casu 235. num. 30. & ante ipsos Baldus in l. 1. num. 16. C. de summa Trinitate & fide Catholica, statutum intelligendum erit, de illo mercatore, qui non sit infamis, aut aliàs fallere consueuisset, Iason in §. sed istæ, num. 98. Institut. de actionibus, Marsilius in practica criminali, §. diligenter, n. 12. Andreas Geil, lib. 2. obs. 47. num. 12. sic, si miles[18] se in militia semel malè gessit, signa vel militiam deseruit, amplius ei non creditur; verisimile enim est, iisdem vestigiis deinceps eum quoque incessurum, textus in l. non omnes 5. §. à Barbaris, ibi: si remansor aut negligens suorum, aut segnis, aut extra contubernium agens, non credetur ei, D. de re militari. De præterito[19] enim præsumitur in præsens, textus in l. siue possidetis 16. C. de probationibus, & in l. non ignorabit 4. C. ad exibendum. Qua ratione, qui fuit aliquo tempore excommunicatus, semper præsumitur excommunicatus, nisi probetur absolutus, glossa & Panormitanus in c. proposuit 8. extra de clerico excommunicato ministrante. Item, qui fuit[20] semel furiosus, nunc præsumitur furiosus, & actus ab ipso gestus, tempore furoris gestus, eaque ratione testamẽtum nullum, Alexander in l. is potest 18. columna 3. versic. item in quantum, vbi egregiè

Maranta in repetitione, mihi num.140. D. de acquirenda hereditate. Præcedentes 3. causæ cumulatæ, quia debitorem suspectum reddãt, à nemine dubitari video; an autem [21] video necessariò copulatiuè requirantur? magis est, nequaquam coniunctim requiri, sed earum alteram, secundum quod contingunt, sufficere. Quare malim conclusiuè totam hanc [22] de debitore suspecto quæstionem, iudicis arbitrio committere, vt is singulis circumstantiis attentis, æstimet an & quando suspectus quis dicendus sit, capturam vel deneget, vel decernat; eiusdem sententię est Iacobus de Arena in l. si tutor 9. argumento illius textus, ibi: aliquo vinculo necessitudinis vel affinitatis pupillo coniunctus sit, D. de suspectis tutoribus. Et ab eo non dissentit Curtius in d. l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, num.33. versic. sine dubio. Ad extremum addo, solam paupertatem neminem suspectum reddere, etsi is neque immobilia, nec mobilia vlla possideat, textus in l. si creditores 31. §. planè 4. ibi: nec sit quod ei iustè præter paupertatem obiiciatur, D. de priuilegiis creditorum, & in §. finali, in fine, ibi: enimuero tutor vel curator quamuis pauper est, fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus, institutionibus de suspectis tutoribus. Semperque memoratu digna est, à Gratiano relata, Ambrosii sententia: paupertatem & ignobilitatem nemo sapiens maladixerit, textus in c. illa cauenda, in fine 15. q. 1.

CAPVT VIII.

Vtrum iudici ſequeſtranti, credi debeat, ſuſpicionem & timorem ſcandali adfuiſſe aſſerenti.

SVMMARIA.

1 *Si futuri ſcandali timor ſubſit, ſequeſtratio permiſſa.*

2 *Iudici ſequeſtranti, an fides adhibenda, ſcandali timorem ſubfuiſſe aſſerenti, & n. 8.*

3 *Præſumptio pro magiſtratu militat, & n. 9.*

4 *Iudex vir bonus a lege appellatur.*

5 *Iudex præſumitur æquitatem perpetuò ante oculis habere.*

6 *Iudex juramentum, de rectè judicando præſtat.*

7 *Nuncii relationi ſtatur, quoad citationem à ſe executam atque reproductam, & n. 12.*

10 *Iudex ſine cauſæ cognitione procedens, pro priuato habetur.*

11 *Suſpicio ſcandali, à parte allegante probanda.*

13 *Nuncio non creditur, de actu alieno, & iis, quæ ad ſuum officium non ſpectant.*

14 *Spoliatus à judice poſſeſſione ſua, ante omnia eſt à ſuperiore reſtituendus.*

15 *Commiſſa per judicem de facto, poſſunt de facto, abſque citatione partis, iterum reuocari.*

17 *Principi an credatur, timorem ſcandali ad-*

fuisse asserenti, quoad sequestrationem factam.

18 *Princeps sine causa, neminem sua possessione destituere potest.*

19 *Principis assertio, juramento aequiparatur.*

20 *In Principe, contra jus positiuum quicquam disponente, iusta causa praesumitur.*

21 *Principi ex causa res priuatorum auferre permissum.*

EX praemissis constat, si futuri [1] subsit timor scandali, judicem licitè ad sequestrationem deuenire posse, vt supra cap. 3. num. 28. scripsi, sed circa hoc quaesitum est; an judici [2] sequestrāti fides adhibenda, scandali timorem subfuisse asserenti? & prima facie videbatur, omnimodo fidem judici adhibendam esse. Notissimi enim juris est, semper [3] pro magistratu praesumptionem militare, textus in l. 2. ibi: quod non arbitramur, C. de officio ciuilium judicum, textus in c. sicut nobis 16. in fine, ibi: propter auctoritatem judiciariam praesumi debet, omnia legitimè processisse, extra de sententia & re judicata, & in c. bonae 23. §. contra. Legati verò processum, ibi: pro his quae à judice sunt acta, praesumitur quod omnia ritè fuerint celebrata, extra de electione, & electi potestate, textus in c. in praesentia 6. ibi: & tanta sit judicialis authoritas, vt semper pro ipsa praesumi debeat, donec contra ipsam aliquid legitimè comprobetur, extra de renunciatione. Idque duabus potissimum de causis, tum, quia judex

judex [4] vir bonus à lege appelletur, textus in l. vir bonus 18. D. judicatum solui, & in l. continuus 137. §. cum ita, ibi: ad judicem, id est ad virum bonum, D. de verborum obligationibus; vt qui [5] præsumatur perpetuo æquitatem ante oculos habere, textus in l. quod si Ephesi 4. in fine, D. de eo quod certo loco: tum etiam, propter jusiurandum, [6] quod de rectè & ritè judicando præstat, textus in l. vltima, ibi: jurati inter gesta depromant, si pro administrationibus sortiendis neque dedisse quidpiam, &c. C. ad legem juliam repetundarum. Menochius in tractatu præsumptionum lib. 2. præsumpt. 67. per totam. Quò spectat, quòd etiam nuncio, [7] quoad executionem citationis, asserenti se ritè & legitimè citasse, fides adhibeatur, idque propter electam fidem personæ, & juramenti religionem, qua judicio obstrictus est, per textum in l. magis puto 5. §. ne tamen 13. ibi: dareque viatorem, D. de rebus eorum, &c. & in l. 1. §. quies quoque popularium 12. ibi: & ad referendum sibi quid vbique agatur, D. de officio præfecti vrbi, textus notabilis in l. apparitores 5. ibi: relationis suæ fide, & adnotatione perscribant, C. de exactoribus tributorum lib. 10. latè Speculator, lib. 2. tit. de citatione, §. sequitur videre num. 6. Bartolus in l. in illa stipulatione 8. num. 11. D. de verborum obligationibus, Mynsingerus Cent. 5. obs. 51. his tamen non obstantibus, veriùs & receptius est, simplici judicis [8] assertioni, quoad suspicionem scādali, nequaquam fidem adhibendam, teste Angelo Perusino, qui

consultus ita respondit, consil.107. incip. Iacobellus, in fine, quem refert & sequitur Curtius senior in l.vnica, C.de prohibita sequestratione pecuniæ, num.15. Socinus senior consil.96.colum.4. versic.præterea ex quo.lib.I. Paulus Parisius consil. 31. num.41.lib.1. Eandem conclusionem probauit Menochius in commentariis de adipiscenda possessione, remedio 6.& vlt.nu. 15. Nec obstat vtraque in contrarium adducta dubitandi ratio: nam etsi pro Magistratu [9] stet juris præsumptio, eum sc.nihil à jure alienum decernere, tamen id tunc locum habere cõmuniter placuit, si prius ordine seruato, præcedente causæ cognitione, non etiã si extraiudicialiter (quo casu pro priuato habetur, Andreas Geil lib.2.obs. 76.num.6.) procedat, atque in iis tantum quæ ad suum spectant officium. At suspicio [11] scandali futuri, vera necnè ea sit, nõ judicis officium, sed potius partis læsæ damnum atque periculum directè respicit, adeoque à parte eam allegante sufficienter probanda est, in tantum quod non sufficiat asserentis juramentum, vt in simili de suspicione fugæ probanda supra cap.6.num. 15.dictum. Altera etiam ratio, de executione nuntii einsque relatione, nullo negotio diluitur; nam, quod nuncio credatur, [12] quoad executionem citationis à se factam, id ideo fit, quia ad id electus & deputatus est, ac citra dubium ipsiusmet non alterius officium concernit, quò fit vt ei merito, de executionis actu, tanquam de actu proprio, non alieno credatur, vnde si de

actu

actu alieno, [13] vtpote de commissione judicis qui citationem decreuit, attestari vellet, nequaquam simplici suæ assertioni standum foret, per notata ab Andrea Geil, lib.1. obseruat.54. num. 4.& 5. Vnde & hæc ratio ad judicem, quo ei fides super timore scandali adhibeatur, referri nullo modo possit. Et quamuis à præmissa conclusione recedere videatur Decius in l. si pacto quo pœnam 14. num.6. C. de pactis: tamen ea conclusio vrgenti atque valida ratione nititur, sc. quod judici non liceat quenquam priuare sua possessione, atque ea etiam per judicem [14] de facto destitutus ac spoliatus, sit à superiore in continenti absque citatione restituendus, Panormitanus in cap. ex ratione 8. num.16. in fine extra de appellationibus, Socinus in tractactu de citatione, artic.7.num.66.in vigesimo casu, vbi dicit, quod ea [15] quæ per judicem facta sunt de facto, possint etiam & debeant de facto, absque partis citatione reuocari, Baldus in d.l. si pacto quo pœnam, num.2. C. de pactis. At si judici crederetur, in casu præscripto, circa suspicionem scandali, simplici sua assertione attestanti timorem scandali subfuisse, ex ea ad sequestrum possessionis priuatiuum deueniretur. Ergo: cùm tamen prohibito [16] vno censeatur prohibitum omne id, per quod eò peruenitur, textus in l.oratio 16.D.de sponsalib.copiosè Menochius in tractatu præsumptionum, lib.6.præsumpt.93.per totam,& ante eum Euerhardus in topicis legalibus, loco à destructione cõsequẽtis,

ad destructionem antecedentis, Dynus in c. cùm quid prohibetur 39. de regulis juris lib. 6. Præmissam conclusionem eò extendunt, vt ne Principi [17] quidem credatur, asserenti timorem scandali adfuisse, quando sequestrum fieri iussit, cùm nec Princeps [18] ipse sine causa possessorem sua possessione priuare, & destituere possit; Menochius in commentariis de recuperanda possessione, remedio 8. quæstione 2. Cæterùm, hæc extensio apud me dubia est, tum quod Principis assertio [19] recepta consuetudine juramento æquiparetur, sub principali scil. fide facta, *Bey ihren Fürstlichen Ehren vnd trevven*, Iason in §. item si quis postulante, num. 52. institut. de actionibus, Speculator lib. 1. tit. de arbitrio & arbitratore §. finali, num. 49. Schurffius consilio 37. incip. in præsenti casu, nu. 11. & 21. cent. 2. Andreas Geil, lib. 1. obs. 101. num. 14. lib. 2. obs. 55. num. 4. & obs. 59. n. 2. & per totam, Mynsingerus cent. 1. obs. 17. Eo qui eiusdem effectus & efficaciæ sit, ac si Princeps jurato asseruisset timorem scandali subfuisse, quo in casu hanc extensionem fortè Menochius ipse nō admitteret; tum, quod Principi ex [20] causa iusta, quæ regulariter & in dubio præsumitur, Mynsing. cent. 4. obs. 8. cent. 5. obs. 97. respons. 21. incip. Cum anno salutis, &c. num. 68. Res [21] priuatorum auferre licitū, idem Mynsing. d. respons. 21. num. 66. & responsio. 32. nu. 17. Andreas Geil, lib. 1. obs. 114. num. 7. lib. 2. obs. 56. per integram, cum pluribus ibi allegatis, Didacus in epitome de sponsalibus, parte 2. c. 8. §. 9.
num. 9.

num. 9. Tantoque magis sequestrare, scandalo imminente, permissum censeri debeat.

CAPVT IX.

Possessionem apud tertiũ sequestratam, si turbari contingat, cui detur interdictum vti possidetis.



SVMMARIA.

1 *Orta contentione, inter sequestrem, & primum rei sequestratæ possessorem, quis alteri in interdicto retinendæ possessionis præferri debeat, & num.* 4.

2 *Fabri sententia in determinatione præcedentis quæstionis reiecta.*

3 *Menochii sententia, in hac quæstione determinanda.*

5 *Sequestrum necessarium siue iudiciale primo possessori possessionem non adimit.*

6 *Possidere, & in possessione esse, diuersa.*

7 *Corasii sentẽtia improbata, in sequestro voluntario, possessionem non transferri asserentis.*

8 *Sequestro in locum primi decreti subrogato, primo possessori interdictum retinendæ competit.*

9 *In sequestro voluntario, cui competat interdictum vti possidetis, & num.* 11. 14. 16. 18.

10 *In voluntario sequestro apud quem sit possessio.*

12 *Nemo præsumitur iactare atque perdere velle suam possessionem.*

13 *Ciuilis possessio, etiam solo animo retinetur.*

15 *In voluntario sequestro, regulariter primus possessor non amittit possessionem.*

17 *Vti possidetis interdictum, etiam ciuiliter tantum possidenti competit.*

19 *Corasii & Menochii opinio examinata.*

20 *Partium voluntate, in sequestrem ciuilis & naturalis possessio transferri potest.*

21 *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

22 *Partibus de possessione vtrinque contendentibus & in sequestrum voluntarium consentientibus cui competat interdictum vti possidetis, & n. 23. 24.*

25 *Rixa & dissidium, sequestro necessario locum faciunt.*

26 *Traditio, custodiæ causa facta, non transfert possessionem.*

27 *Commissa felonia, vasallus amittit feudum.*

28 *Feudi possessio vt amittatur, sententia declaratoria requiritur, fallit, vt num. 29.*

30 *Statuta locorum, certas pœnas turbantibus rerum possessores, infligentia, accusationem quibus deferant & permittant.*

SAepè contingit, sequestrem [1] in rei sequestratæ possessione turbari, ac inter ipsum & primum possessorem, qui ante factã sequestrationẽ possedit contendi, ratione possessorii retinendæ, cuius in eo intentando partes potiores sint, qua occasione elegantẽ quæstionem, à Doctoribus hinc

hinc inde discussam, qua breuitate possum, hoc capite resoluam. Quæro igitur, si apud tertium possessio sequestrata fuerit, an ipsi possidenti, ante sequestrationē factam, an verò sequestri competat interdictum vti possidetis? Ioannes Faber [2] in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, & in §. retinendæ, n. 3. Institutionibus de interdictis, simpliciter scripsit, interdictum vti possidetis ei qui ante factam sequestrationem possedit, reddi. Quam opinionem si indifferēter intelligas, quemadmodū Doctores eam intellexisse video, vera ea non est, vt ex infra dicendis patebit. Fusius aliquanto [3] Menochius in commentariis de retinenda possessione, remedio 3. in deductione interdicti vti possidetis, num. 86. & multis sequentibus, distinctione 4. Casuum, post alios à se relatos, rem totam explicans, eos ipse quoque breuiter referam, & quam iuri scripto benè conueniant, ostendam. Casuum antedictorum primus est, si vnus [4] tantum certus possessor extat, cuius possessio ex aliqua necessaria causa, vt propter æs alienum, forsan in casu dilapidationis, vt supra cap. 3. num. 6. scripsi, est sequestrata, quod sequestrum necessarium dicitur; hoc in casu, si illius rei possessionem turbari contingat, ipsi rei domino, & primo possessori, interdictum vti possidetis contra turbatorem reddi, post alios rectè docuit Faber loco proximè citato. Cum enim, ob [5] necessarium & judiciale sequestrum interpositum, rei sequestratæ possessio non amittatur, vt ex

iis,quæ supra capite 2. per me tradita sunt, constat, atque ita primus ille possessor dici nequeat possessione sua, ratione sequestri priuatus, sed mediante persona sequestris,qui in possessione [6] quidem est, sed non possidet (hæc enim duo diuersa sunt) etiamnum possidere; consequens omnino est, illi interdictum vti possidetis (quod rem possessoribus competit) nequaquam denegandum. Hanc decisionem probat Cynus in d.l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, Bartolus & Baldus ibidem, Curtius senior mihi, num. 64. Ioannes Corasius [7] Miscellaneorum juris,lib. 3.cap.2.num.14. Qui dum voluit,nec per voluntariam sequestrationem possessorem priuari possessione rei suæ (quamuis contrarium ego supra ex l.licet 17.§.rei depositę.ibi:nisi apud sequestrem deposita est,nam tum sequester possidet,D.Depositi demonstrauerim.) Eo ipso, & tãto magis idem quoad necessarium sequestrum (in quo illud apud omnes receptum) sensisse censendus est. Præmissam decisionem eò extendũt, vt etiam tunc procedat,cùm judex possessionem in sequestro penes semetipsum retinet; item, cum sequestrum [8] loco primi decreti subrogatur. ita Faber in d.§.retinendæ,num.7.institutionib. de interdictis,& post ipsum Menochius in deductione interdicti vti possidetis, nu.90. 2.casus, cùm tantum vnus extat certus possessor, qui ob motam sibi controuersiam,sua sponte rem apud sequestrem deponit (hoc sequestris genus voluntarium est) vt si propter securitatem credito-
ris,

ris,vel agentis actione reali, partes voluntariè ad sequestrum descendunt: hoc casu [9] si possessio turbetur, vti possidetis interdictum, non illi primo possessori, sed sequestri redditur. Ratio est, quia in hoc [10] voluntario sequestro, sequester possidere,& in eum possessio voluntate partium translata dicitur,d.l.licet, ibi: sequester possidet, D.depositi, textus in l.interesse puto 39. ibique Iason & communiter Dd. de acquirenda possessione. Verùm,sunt qui in hoc 2.casu dissentiant, & non obstante sequestro voluntario,[11] primo possessori interdictum vti possidetis reddi existiment, Aretinus in d.l.interesse,D.de acquirenda possessione,Corasius d.cap.2.num.15.per rationem, quod ex voluntario [12] hoc sequestro, non præsumatur possessorem voluisse iactare atque ita perdere possessionem suam,argumēto l. cùm de indebito 25.in principio,D.de probationibus. Eos sequitur Menochius d.remedio 3. de retinenda possessione, num.92. saltem quoad ciuilem [13] possessionem, quæ etiam animo solo retinetur,textus in l.3.§.in amittenda 6.ibi: sed & si animo solo possideas, licet alius in fundo sit, adhuc tamen possides, D.de acquir.possessione. Ego horum [14] opinionem,in dubio admitto, per id quod supra cap.2.in principio scripsi,scil.etiam in voluntario sequestro regulariter (nisi aliud nominatim actum sit) possessionem in sequestrem non transire, sed penes primum possessorem [15] remanere, ideoq; primo possessori in dubio remedium possessorium, pro retinenda pos-

ſeſſione, ſiue interdictum [16] vti poſſidetis competere, vtpote quod nedum naturaliter, ſed etiam ciuiliter [17] tantum poſſidenti competit, Menochius in d.remedio 3. de retinenda poſſeſ. n. 22.verſic.2.quæro. Quod ſi ita conuenerit, vt ad ſequeſtrem poſſeſſio tranſeat, vtique ipſi, non primo poſſeſſori dabitur [18] interdictum vti poſſidetis. Quare, ſi [19] Menochius & Coraſius, hunc ſecundum caſum ita interpretentur, vt in ſequeſtro voluntario perpetuò, & indifferenter penes primum poſſeſſorē poſſeſſio maneat, eiq; interdictum retinendæ competat, tunc eorum opinio manifeſtè falſa eſt, ſiquidem certum ſit, partium [20] conſenſu poſſe in ſequeſtrem (etiamſi id regulariter, vt ante dictum, nō præſumatur) tam ciuilem, quàm naturalē poſſeſſionem transferri, textus in ſupradicta l.licet, D.depoſiti, & in d.l.intereſſe puto 39.ibi: ſi omittendæ poſſeſſionis cauſa, D.de acquirenda poſſeſſione. Vtroq; in loco, cùm lex [21] indiſtinctè loquatur, nec poſſeſſionem ciuilem à naturali ſeparet, conſequens eſt, vt nec nos diſtinguamus, ſed fictā diſtinctionem reiiciamus, per textum in l. de pretio 8. D. de publiciana in rem actione, & in l. imperator 8. §. diuus, ibi: nec adhibetur diſtinctio, D.de poſtulando. Tertius caſus, ſi ambo contendunt [22] ſe poſſidere, atque ita quis eorum poſſideat incertum eſt: Hoc caſu, ſi rei poſſeſſio in ſequeſtro ponetur: eaque perturbetur, interdictum [23] vti poſſidetis non ipſis contendentibus, ſed ſequeſtri reddendum eſſe (per rationem,

nem, quod in sequestrem dicatur translata possessio) docuerunt Aretinus, Corasius (eiusque nomine suppresso Zasius, parte 2. antinomiarum, n.4.) locis antecitatis, quos secutus est Menochius d.reme.3. de retinẽda possessione, n.93. Ego nõ video, cur magis in 2. quàm in hoc 3. casu possessio apud primũ possessorem remanere, eiq;
24 interdictũ vti possidetis in dubio concedi debeat, cùm sequestrum vtrumq;, illis ipsis non negãtibus, voluntariũ sit, in quo regulariter primus possessor possessionẽ retinet. Quamuis nõ diffitear, consultius esse, sequestri hoc in casu experiundi facultatẽ, quàm ipsis litigantibus cõcedere, qui qua ratione prius de possessione cõtenderunt, eadẽ ratione de intentãdo remedio possessorio cõtendere possent, adeoq; 25 dissidii & rixæ causa, sequestro necessario forsan locum facerẽt, per ea quæ supra c.3.n.17. scripsi: ac per eam cõsiderationem, hunc casum sustineri posse arbitror, etsi forsan attẽta dispositione iuris scripti, d. lege licet, D. depositi, d.l. interesse puto, D. de acquir. poss. cõtrariũ dicendũ foret. Quart[9] & vlt. casus, si res simplici 26 custodiæ alicuius mãdatur, postquã rei dominus eam suo nomine apprehẽdit, vt si feudi dominus in casu cõmissæ fælonicæ, priuato vasallo jure feudi, (iuxta ea quæ tradidit Mynsing. cent. 6. obser. 86. Menochius lib. 2. de arbitrariis judicum, casu 78. num.3. Clarus lib.4. receptarum sententiarum §. feudum, quæstione 26. feudistæ communiter in cap. 1. de feudo sine culpa non amittendo, ibi Afflictus, n.13.)

Feudi possessionem apprehendat, sententia sc. priuationis præcedente (nam etsi ob cõmissam [27] Feloniam, feudum quoad dominium ipso jure amittatur, tamen quoad possessionem [28] auferendam sententia declaratoria requiritur, Feudistæ in c. 1. §. caliidis, de prohibita feudi alienatione per Fridericum, Baldus in c. 1. §. publici latrones, num. 3. de pace tenenda, nisi Felonia [29] notoria sit actuque permanens, per notata ab Andrea Geil, lib. 2. ob. 51. num. 8. & lib. 2. de pace publica cap. 3. per totum) & possessionem alicui tradat simpliciter custodiendam. Hoc casu, si possessio turbetur, redditur interdictum domino feudi, cum illa custodiæ traditio in modum sequestri non sonet, nec dominum possessione apprehensa priuet, sed custos nomine domini possidere dicatur, Faber in d. §. retinendæ, nu. 7. institutionibus de interdictis, Menochius in d. remedio 3. de retinenda possessione, num 95. Quare si statuta [30] locorum certas pœnas constituant aduersus turbantes rerum possessores, in suis possessionibus, locum illa vtique habebunt in casu 1. & 4. fauore primi possessoris, vt detur ei accusatio contra turbantes: in 2. verò & 3. casu (propter possessionem translatam) ipsi sequestri accusatio competet, cùm is possidere modo præscripto dicatur, Menochius dicto remedio 3. de retinenda possessione, nu. 96. & aliquot sequentibus qui ita interpretatus est statuta ciuitatum Brixiæ, Patauii, Papiæ, Ferrariæ.

CAPVT

CAPVT X.

Quid in Imperio, circa materiam sequestrorum, prouisum.

SVMMARIA.

1 *Si subsit timor armorum, licitè ad sequestrationem deuenitur.*

2 *Constitutio imperii, de litigiosa possessione, ad materiam sequestrorum spectat.*

3 *Sententia §. fin. 5. tit. 21. part. 2. ordinat. Cam. imp. de litigiosa possessione inter Principes & status imperii sequestranda.*

4 *Prætoris officio incumbit, quibuscumque potest modis, tranquillam & pacatam conseruare rempub.*

5 *Sequestratio possessionis, fit vel ad instantiam partium, vel ex officio judicis, partibus invitis.*

6 *Effectus, & processus constitutionis imperii, de litigiosa possessione sequestranda.*

7 *Constitutio imperii de litigiosa possess. sequestranda, quando locum habeat, & nu. 10.*

8 *Vno possidente, altero turbante, quæ judicis partes sint.*

9 *Possessione sua, ob alterius contradictionem, nemo destituendus est.*

11 *Si constet alterutrum litigantium possidere, sequestrationi locus non est, etiamsi periculum armorum subesset.*

12 *Processus, ad falsa narrata supplicantis, in Ca-*

mera Imp. decreti, iterum cassantur.

13 *Mendax precator, carere debet impetratis.*

SI partes litigantes, de retinenda vtrinque possessione contendant, adeò vt subsit periculum [1] ne ad arma deueniant, eò in casu ex dispositione & practica juris communis judicem immediatè superiorem licitè ad sequestrationem litigiosæ possessionis procedere posse, supra cap. 3. num. 17. in nono casu, à regula sequestrationis prohibitiua excepto, scripsi: id quod & in Sacro Romano [2] Imperio, quoad Principes & Status Imperii, specialiter prouisum reperio, atque huc salubrem illam de litigiosa possessione pragmaticam sanctionem, ordinationi Cameræ Imperialis, parte 2. tit. 21. insertam refero. Cuius constitutionis etsi 3. separati casus sint, vt in litera ordinationis cuique patet, tamen eorum vltimus [3] in §. finali positus, huic sequestrationis materiæ propius conuenit. Is autem sic habet: *Ob auch in obberuertem ersten fall, zvvischen den partheyen, die ohne mittell dem reich vnder vvorffe, die possession, oder* quasi, *auch die gevvehr, auß redlicher anzeigung zvveyfeliche, vnd sorgliche emporung, vveitterung oder auffruhr darauß zubesorgen, sollen cammerrichter vnd beysitzer, gevvalt vnd macht haben, auff anruffen der partheyen, oder fur sich selbsten* ex officio *die possession zu sequestrieren, oder aber der quasi possession halben, ahnstatt der sequestration, beyden theilen zugebietten sich derselben zuenthalten, vnd alsobald darauff summarie,*

marie, ohne einigen gerichtlichen proceß, oder andere vveittleuffige außfuehrung der sachen, Zuerkennen, vvelchem theil die possession oder quasi einzugeben, oder zu inhibieren seye, sich derselben biß Zu endlichem austrag des endlichen rechtens in possessorio plenario *zuenthalten, vnd so das beschehen, soll als dann solches keinem theil an seinem inhaben oder besitz in rechten nachtheilig sein.* Hæc praxis Imperii, de litigiosa possessione, inter Status Imperio immediatè subiectos sequestranda, fundatur in l. æquissimum (aliâs incip. si cuius rei, vel, si vsusfructus legatus) 13. ibi: cur ad arma & rixam procedere patiatur prætor, [4] quos potest jurisdictione sua compescere, D. de vsufructu, l. illicitas 6. §. ne potentiores, & l. congruit 13. ibi: curare vt pacata atque quieta prouincia sit, D. de officio præsidis, textus in l. si super 9. ibi: præses prouinciæ interpellatus, vim fieri prohibebit, C. de transactionibus. Quæ jura omnia expressè disponunt, quòd si res ad arma spectare videatur, judicis officio incumbat, eique permissum sit, litigiosam possessionem, [5] vel ad partium instantiam, vel ipsis contradicentibus ex officio sequestrare; cum qua juris communis dispositione hæc imperii constitutio omnino conuenit, ibi: *vnd sorglche emporung, vveitterung, oder auffruhr darauß Zubefahren*, item ibi: *sollen cämerrichter vnd beysitzer gevvalt vnd macht haben auff anruffen der partheyen, oder fur sich selbsten* ex officio *die possession Zu sequestrieren.* Cuius quidem inhi-

bitionis vel ſequeſtrationis is præcipuè [6] effectus eſt, vt partes de poſſeſſione contendentes, quàm primum facta ſequeſtratione, in Camera Imperiali citentur, ad producendum articulos cauſales ſuper aſſerta poſſeſſione, & vt prætenſa ſua jura Poſſeſſoria, teſtibus ſi poſſunt, vel aliis adminiculis, ſummariè deducant, interim verò ab armis abſtineant, victori litigioſa poſſeſſio adiudicetur, donec in poſſeſſorio ordinario pleniſſimè deducatur & cognoſcatur, cui partium non momentanea, ſed vera poſſeſſio irreuócabiliter, judicis ſententia adiudicanda ſit. Ita in Camera Imp. vigore præmiſſæ conſtitutionis, in comitiis Auguſtanis, de anno, &c. 1548. erectæ, & ordinationi inſertæ, obſeruatum fuiſſe refert Mynſing. cent. 2. obſ. 96. In cauſa ciuitatis Spirenſis, contra Epiſcopum Spirēſem, *deß Eysbruchs halben auff dem Rhein*, & in cauſa eiuſdem Ciuitatis, contra Comitem Palatinum Rheni, Principem Electorem, *die Gleidsirrung belangend.* Quæ practica, literæ ordinationis optimè congruit, ibi: *Bald darauff ſummariè ohne einigen gerichtlichen Proceß, oder Weytleufftige außfuehrung der ſachen Zuerkennen, vvelchem theil die poſſeßion* vel quaſi *einzugeben, oder zu inhibieren ſeye, deren ſich biß zu endlichem außtrag* in poſſeſſorio plenario *zuenthalten*. Atq; hæc quidem conſtitutio [7] imperii, de litigioſa poſſeſſione inter Principes & ſtatus imperii ſequeſtranda, tum demum obtinet, cùm ſtatus vterque vult poſſeſſioni incumbere ſeque magis contendit poſſidere, iuxta l. 1. §. ſed ſi inter, D. vti poſſide-

possidetis. Itaque si constet vnum [8] possidere, alterum turbare, judicis officio incumbit, vt competentibus remediis, adeoque mandatis pœnalibus vim fieri vetet, simulque possidentem in possess. sua tueatur, textus in d. l. 1. §. illud, D. vti possidetis, per rationem, quod nemo [9] sua possessione, ob contradictionem tertii sit destituendus, textus in l. vnica, C. hoc titulo, de prohibita sequestratione, Canonistæ communiter in rubrica & passim de sequestratione possessionis & fructuum, & in Clementinis eodem titulo. Qua de causa in hoc posteriore [10] casu (si nimirum alteram partium possidere constet) antedictæ Imperii cōstitutioni, de litigiosa possessione sequestranda nequaquam locus erit, nec possessori [11] sua possessio sequestrari, aut quò minùs liberè ea vtatur fruatur (etiamsi periculum armorum subesset) inhiberi poterit; fieret enim id cum iniuria possidentis, supra citata l. 1. §. est igitur, ibi: hoc interdictum tuetur, ne amittatur possessio, D. vti possidetis. Quod si [12] apud Cameram Imp. forsan ad falsa narrata supplicantis, hoc posteriore casu possessio sequestrata, inhibitione decreta sit, impetrati processus iterum cassantur (mendax [13] enim precator carere debet impetratis, textus in c. sedes Apostolica 15. in fine, c. super literis 20. in principio, extra de rescriptis, c. 2. de crimine falsi, textus in l. etsi legibus 5. C. si contra jus vel vtilitatem publicam) causaq; principalis victo in expensis condemnato, ad judicem ordinarium remittitur, ita ex obseruatione styli annotante An-

drea Geil. lib.1.obs.5.num.7.vbi ad id cōfirmandum Augusti tribunalis præiudicium retulit.

CAPVT XI.

Constitutione Imperii, de litigiosa possessione sequestranda, an amittatur possessio, & an ea tantum in interdicto retinendæ locum habeat.

SVMMARIA.

1 *Etiam in sequestratione voluntaria regulariter non præsumitur sequester possidere. Fallit, vt num. 2.*

3 *Necessarium sequestrum, possessionem non trāsfert.*

4 *Cōstitutio Imperii de litigiosa possess. sequestrāda, vtrumq; casum, & voluntariæ, & necessariæ sequestrationis complectitur.*

5 *Ex constitutione Imperii, sequester non possidet, sed tantum est in possessione custodiæ causa.*

6 *Possidere, & in possessione esse, diuersa sunt.*

7 *Andreas Geil, constitutionum Imperii dexter interpres, & styli apud Cameram Imperialem diligens obseruator.*

8 *Custodiæ causa facta traditio, possessionem non transfert.*

9 *Constitutio Imperii de litigiosa possessione sequestranda, priuilegio primæ instantiæ derogat. Fallit vt num.11.*

10 *Dispu-*

10 *Disputatio possessorii plenarii, etiam inter Status Imperii, in Camera non recipitur, sed ad judicem ordinarium remittitur.*

12 *Constitutionis Imperii, de litigiosa possess. verba, interdictum retinendi exprimere, & in id solum concepta videntur.*

13 *In exorbitantibus a jure communi, non facilè permittenda est extensio ad casus non exceptos.*

14 *Sequestratio, jure communi nominatim prohibita est.*

15 *Constitutio de litigiosa possessione, remedium ordinarium in Imperio.*

16 *Eadem constitutio pacem publicam cõcernit.*

17 *Etiam in possessorio adipisc. locum habet.*

18 *Ratio ubi eadem, debet esse eadem juris dispositio.*

19 *Recessus Ratisbonensis, de anno, &c. 1594. sequestrorum mentionem faciens, ad arresta Imperii spectat.*

ETsi regulariter, etiam in [1] voluntaria sequestratione, non præsumatur rei sequestratæ possessionem in sequestrem esse translata, argumento l. cum de indebito 25. in principio, D. de probationib. & per ea quæ c. 9. n. 15. post Corasium, ex fundamẽto juris scripsi: tamen id [2] dubitatione caret, voluntate partium, possessionẽ in sequestrem (cõmodo & utilitate penes ipsas partes remanẽte) transferri posse, per textum in l. interesse puto 39. ibi: si omittẽdę possessionis causa

D. de acquirenda possessione; in sequestratione autem [3] necessaria, penes primum possessorem, possessionem perpetuo remanere, adeoque in primo & tertio casu non sequestri, sed ei qui ante factam sequestrationem possedit, in casu autem secundo ipsi sequestri vtpote possessori, facultatem experiundi remediis possessoriis competere: qua occasione quæro, an præmissa constitutione imperii, rei sequestratę amittatur possessio, & consequẽter facultas remedia possessoria (ratione possessionis turbatæ competentia) intentandi? sanè tenor constitutionis [4] vtrumque casum & voluntariæ & necessariæ sequestrationis complectitur, ibi: *Auff anruffen der partheyen, oder fur sich selbsten ex officio*, &c. Vt constitutio ipsa secũdum distinctionem paulò ante præmissam videatur intelligenda, ac minimum in sequestratione voluntaria, partibus ita consentientibus, sequestratæ rei possessio amitti, & ad sequestrem facultas intentandi remedia possessoria transferri. Verùm, censuit Andreas Geil, lib.1. obs.5. num.10. in fine, hac constitutione [5] possessionem non amitti, sed sequestrem custodiæ causa tantum in possessione esse, longè autem inter se distant, possidere [6] & in possessione esse, textus in l. si quis ante 10. D. de acquirenda possessione: cui, vt aliarum constitutionum [7] Imperii, de pace publica, pignorationibus, Arrestis, optimò interpreti, stylique & praxeos apud Cameram Imperialem post alios diligentissimo obseruatori, vt qui ad vndecimum annum assessores

munere

munere ibidem perfunctus, in hoc libenter subscribo: indeque puto, si contingat durăte sequestratione, possessionem rei sequestratæ turbari, neutro casu ei penes quem res sequestrata est, sed primo possessori, qui ante sequestrationem decretam possedit, interdictum vti possidetis pro retinenda possessione, contra turbantem competere, iuxta ea quæ supra cap. 9. in casu primo & quarto à me dicta sunt; cum traditio[8] custodiæ tantum causa facta, possessionem non trăsferat, vt in d. cap. 9. num. 26. scripsi. In quoque prænominati Andreæ Geil sententiam sine difficultate recipio, dum censuit constitutionem imperii,[9] de litigiosa possessione sequestranda, priuilegio 1. Instantiæ derogare, ita vt Principes & Status Imperii, qui aliâs vigore ordinationis Cameræ Imperialis, parte 2. titulis 8. antecedentibus, suo modo & ordine in prima instătia à judicio Cam. Imp. exempti sunt, *vermog der bevvilligten vnd verglichenen außtreg*, tamen [10] ratione litigiosæ possessionis, quoad judicium nempe momentaneum, & summarium (non etiam quoad plenarium, eius enim disputatio ad judicem ordinarium remittitur, facit textus & quæ ibi traduntur in clementina sæpè, §. citationem, de verborum significatione, vnde quoad hoc priuilegio[11] primæ instătiæ, inter Status Imperii etiamnum locum esse opinor) ibidem rectè conuenianter, Geil lib. 1. obs. 1. nu. 14. obs. 6. num. 1. & 7. Quam eius sententiam verba litigiosæ constitutionis in principio §. fin. optimè confirmătibi: *zvvischen*

dē partheyē die ohne mittel dē reich vnderuuorffen, & paulò poſt, *Sich derſelben biß Zu endlichem auſtrag deß endlichen rechtens* in poſſeſſorio plenario *Zu enthalten*, itē in d. tit. 21. §. *vvo auch Zvviſchen den partheyen*, ibi: *das ſolle vor dē ordenlichen richter furgenommen vnd geſucht vverden.* An autem præmiſſa Imperii conſtitutio [12] de litigioſa poſſeſſione ſequeſtranda, tantùm in poſſeſſorio retinendæ locum habeat? id vtique ſonare videtur ipſius conſtitutionis verba, quæ in id concepta ſunt, vt partibus vtrimq; ſe poſſidere cōtendentibus (quod propriū eſt interdicti vti poſſidetis, atque ita retinendæ poſſeſſionis) ipſa litigioſa poſſeſſio ſequeſtretur. Nec ſit facilè permittenda [13] extenſio ad caſus nō expreſſos, maximè cùm cōſtitutio Imperii de ſequeſtranda poſſeſſ. remediū extraordinariū videatur, & cōtra diſpoſitionem juris communis (qua [14] ſequeſtratio nominatim prohibita eſt, l. vnica, C. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ) cōcepta ſit, argumento textus, & quæ ibi cōmuniter traduntur, in l. 3. §. hæc verba, D. de negotiis geſtis. Cæterùm, exiſtimo ego, ſæpedictā Imperii conſtitutionē, [15] de litigioſa poſſeſſione, inter Principes & Status ſequeſtranda, nequaquā extraordinarium, ſed ordinariū remedium eſſe adeoq; Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, Legis animatæ in terra, & cōmuni ſtatuū voto atq; conſenſu, pro Lege Imperii receptam. Cumq; ad conſeruationem [16] pacis publicæ ſpectet, ac eum etiā caſum in ſe cōtineat, quo ex diſpoſitione juris cōmunis, ſi ſcil. periculum armorum ſubſit, ad

ſeque-

sequestrationē possessionis licitè deuenitur, per textum in l. æquissimum, D. de vsufructu, & in l. congruit, D. de officio præsidis, cum similibus: ea propter rectè scripsisse arbitror Andream Geil, lib. 1. obs. 5. n. 8. eam constitutionem, nō minùs in possessorio [17] adipiscendę quàm retinendæ locum habere, vt sc. si vterque status possessionem vacantē manu armata apprehēdat, judicis partes sint possessionē sequestrare, atq; vtriq; partium inhibere, ne lite in sūmario possessorio pendētę, ad possessionem accedat, cùm eadē [18] in adipiscēda, quæ in retinenda possessione ratio militet, indeq; eadem debeat censeri juris dispositio, textus in l. quæsitū 13. D. de testibus. Est etiam in nouissimo [19] recessu Imperii de anno 1594. in comitiis Ratisbonensibus sequestrorum mētio facta, sed cùm recessus ibi, potius declarationē constitutionis arrestorū, ob varias circa eā, quoad decernenda mādata sine clausula, apud Cameram Imp. ortas hucusq; difficultates, concernere videatur; ea de causa, ne impertinentia inseram, caput illud Ratisbonensis recessus adscribere prætermitto, & lectorem ad recessum ipsum ablego.

CAPVT XII.

An lite pendente, possessio sequestrari possit.

SVMMARIA,

1 *Sequestratio plerunque fit de possessione rei, necdum in judicium deductæ, & n. 2.*

3 *Lite super possessione cœpta, an adhuc sequestrationi locus sit.*

4 *Lite pendente, nemo possessione sua destituendus.*

5 *Ab executione non est incipiendum.*

6 *Si possessor de dilapidatione suspectus sit, tunc sequestrationi locum facit.*

7 *Iudicium non debet esse elusorium.*

8 *Fructus tempore perituri, vendi debent, & pretium loco rei sequestrari.*

9 *Quando fructus dicantur tempore perituri.*

10 *Dilapidationis suspicio, iudici probanda est.*

11 *Intellectus l. Imperatores, §. finali, D. de appellationibus.*

12 *Primus possessor, propter appellationem interpositam, adhuc possessor est.*

13 *Appellatio suspendit sententiam iudicis à quo.*

14 *Condemnatus, pendente appellatione, non dicitur condemnatus.*

15 *Appellationes à sententiis super possessorio plenario latis, recipiuntur, & executionem prioris sententiæ suspendunt. Fallit, vt n. 19.*

16 *Cui licet, quod plus est, vtique etiam quod minus.*

17 *Pater adulterum filiæ, & occidere, & contumelia afficere potest.*

18 *Statuta, vt in iudiciis possessoriis, appellatio executionem non impediat, summa ratione nituntur.*

20 *Sequestrum, lite pendente factum, durat, donec*

nec causa appellationis fuerit finita. Fallit, ut num. 22.

21 *Finitur sequestrum, vel satisdatione, vel finita lite.*

23 *Priusquam sententia transeat in rem judicatam, lis non dicitur finita.*

Controuersæ possessionis [1] sequestratio plerumque fit priusquam partes possessionis causam in judicium deducant: vnde constitutio imperii de litigiosa possessione sequestrãda duobus proximis capitibus præmissa, expresse dispo-nit, vt si Principes & Satus Imperii de possessione vtrinque contendant; resque ad arma spectare videatur, non tantum possessio [2] sequestretur, sed etiam partes ad deducendum jura sua possessoria extraiudicialiter prætensa & iactata, citentur, victori possessio adiudicetur. Quid autem è conuerso, si scil. litigiosa [3] possessio in judicium iam deducta sit, an & tum sequestratio possessionis locum habeat? fieri eam non posse, id suadet; quod lite [4] pendente, nemo sua possessione priuari, vel in ea turbari debeat, textus in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, & in c. 2. vbi Panormitanus num. 5, extra de sequestratione possessionis & fructuum. Quò spectant ea, quæ hactenus de prohibita sequestratione possessionis, necdum in judicium deductæ, sunt præmissa; potissimum verò, quod lite pendente nihil innouetur, sed cœpto judicio suus cursus relinquatur, toto titulo extra, vt lite pendente, &c. &

quod lite nondum finita, non sit præposterè ab executione[5] incipiẽdum, textus in l.1. C.de executione rei judicatæ. Verùm ea conclusio, vt inter alia supra cap. 3.nu.4.dictum, tunc non procedit, si possessor sit homo [6] perditæ vitæ, suspectus de dilapidatione, re litigiosa malè vtens, ita vt judicium posset esse frustratoriũ, iuxta l. nam is 6, D.de dolo, quòd esse [7] non debet, textus in l.si prætor 12. D.de judiciis. Eó siquidem casu, fructuum non tantum naturalium, sed etiam ciuilium, scil.pensionum, sequestratio fieri licitè poterit, per textum in l.Imperatores 21.§.fin.D. de appellationibus, Dd.in d.l. vnica, C.de prohibita sequestratione pecuniæ, Canonistę in d.c. 2.& in c.fin.extra eodem. Quod si fructus [8] sint tempore perituri, (hoc est, qui seruando seruari, & vltra 3. [9] annos in suą naturali bonitate, sine corruptione detineri nequeant, Iason in l. 1.§. fuit quæsitum, nu.31. D.ad S.C.Trebellianum) tunc communiter eò itum est, quod vendi debeant, & pecunia, siue pretium loco rei sequestrari; si distraherentur vel consumerentur, periculo penes sequestrem remansuro, Bartolus & Doctores in l.interesse puto 39. D.de acquirenda possessione,& in l. si oleum 9. D.de dolo malo, Angelus in l.is cui,§. quæri poterit, D.vt legatorum nomine caueatur, Curtius senior in l,vnica, C.de prohibita sequestratione pecuniæ,num. 77.Legitimè [10] tamen probanda est huiusmodi dilapidatio, nec sufficeret eam simpliciter allegare, sicut in simili de probanda suspicione fugæ supra cap.

pra c.6.n.13.ſcripſi. Regula porrò [11] d.l.Imperatores, D. de appellationib. in caſu dilapidationis ſequeſtrationem fieri permittens,in cauſa appellationis, ſicut & rubrica præ ſe fert, illius tituli locum habet; nimirum ſi pars ſequeſtrationem petens, obtinuerat pro ſe ſententiam, & cauſa in judicio appellationis adhuc pendeat, timorq; de dilapidatione ſubſit. Nam ſi in prima inſtantia peteretur ſequeſtratio, regulæ ſequeſtrationis prohibitiuæ adhuc ſtandum foret, d.l. vnica, C.de prohibita ſequeſtratione, & extra eodem titulo, quæ vtrobiq; haud dubiè in prima inſtãtia loquuntur.Tametſi aliâs primus poſſeſſor, [12] etiamſi in prima inſtãtia ſuccubuerit & cõdẽnatus ſit,adhuc tamen,propter appellationẽ interpoſitam poſſeſſor ſit,textus in l.ſciendũ 15.§.qui fundum,D.qui ſatiſdare cogantur. Appellatio enim [13] ſuſpẽdit ſententiã & executionẽ judicis à quo, textus in c.paſtoralis 53.§. verùm quia, extra de appellationib.adeò vt condemnatus, [14] appellatione pendẽte,nõ dicatur cõdemnatus, textus in l.2.§.fin. D.de pænis:nec ob id ſit primus poſſeſſor,etiã lata cõtra eum ſententia,poſſeſſione ſua, vel per ſequeſtrationẽ,vel per alium modũ deſtituẽdus, ſed donec cauſa appellationis terminata, in poſſeſſione manu tenẽdus. Maximè,cùm hodie ex cõmuni practica,appellationes [15] à ſentẽtiis in judicio poſſeſſorio(plenario ſc.ſiuè ordinario) latis recipiãtur,& executionẽ prioris ſentẽtię ſuſpendãt: quare judex appellationi in decernenda inhibitione, ſiue ſequeſtratione nõ debet nimiũ

facilis esse, ne causæ principali præiudicet; cùm, extra casum dilapidationis talis inhibitio, citra iniuriam primi possessoris difficulter fieri posset, Si tamē statuto vel priuilegio cōcessum sit, quod in iudiciis possessoriis appellatio non impediat executionem, sed victor (prædicta idonea cautione, de restituenda re cum fructibus, casu quo sententia per judicem appellationis foret retractanda) statim post definitiuam sententiam, in possessionem rei litigiosæ mittatur, tunc vtique & multò magis sequestrationi locus foret, per regulam, cui licet quod plus [16] est, licet vtique quod est minus c. cui licet 53. de regulis juris lib. 6. Sicut dicimus, cùm patri [17] occidere liceat adulterum filiæ, cum ea deprehensum, multò magis licebit eundem contumeliis afficere, textus in l. nec in ea 22. §. jus occidendi, D. ad l. juliam de adulteriis. Ac talia quidē statuta, [18] propter possessorum malitiam (qui, quò liberè & quietè possessione perfruantur, totis viribus eò incumbūt, vt lites in infinitum extrahant, easq; faciant immortales) summa ratione nituntur, & juri communi consentanea sunt, quo in possessorio momentaneo, appellatio omnino vetita est, l. vnic. C. si de momentanea possess. fuerit appellatum. Et, vt in possessorio plenario appellatio recipiatur, tamen ea [19] executionem prioris sententiæ non retardat aut suspendit, Maranta in praxi aurea, parte 4. distinct. 9. num. 44. Vide Andream Geil lib. 1. obs. 147. num. 8. & 9. Ex præcedentibus & illud colligitur, sequestrum [20] lite pendente

dente factum, tamdiu durare, donec causa appellationis fuerit expedita. Cum enim non aliter reuocetur [21] sequestrum, nisi vel satisdatione, vel lite finita, vt infra suo loco dicam, per textum in l. si fideiussor 7. §. finali, D. qui satisdare cogantur: causa autem per appellationem interpositam non finita, sed tantum suspensa dicatur, vtique durabit facta sequestratio, donec definitiuè per judicem appellationis, pronunciatum fuerit, Speculator lib. 4. tit. de sequestratione possessionis & fructuum, num. 5. versic. sed pone lata est sententia; dummodo [22] per ipsum appellantem non steterit, quò minus debito tempore causa appellationis finiatur, vt si is dolosè processum extrahat, quo casu reuocabitur sequestrum, & reo res restituetur, l. si oleum 9. in principio, D. de dolo malo. Imola, & Doctores in l. interesse puto 39. D. de acquirenda possessione. Nec dicitur lis finita [23] priusquam transierit in rem judicatam, & sic si per appellationem fuerit suspensa, Curtius senior in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, mihi num. 65. 66.

CAPVT XIII.

De probationibus, in possessorio retinendæ, quò sequestra pertinent.

SVMMARIA.

1 *Sequestra, ad interdictum retinendæ possessionis pertinent.*

2 *In possessorio retinendæ is obtinet, qui antiquiorem possessionem probat, & num. 14.*

3 *Opiniones Doctorum, quid in possessorio retinẽdæ, si probationes utrinque sint æquales, pronunciandum, & num. 6. 9. 10.*

4 *Duo in solidum rem eandem, eadem possessionis specie, possidere nequeunt.*

5 *Duæ possidendi qualitates, in eadem possessionis substantia, concurrere non possunt.*

7 *Iudex non debet incertam proferre sententiam.*

8 *Baldi facetum dictum, circa pronunciationem in possessorio retinendæ, si partes utrinq; sint in probationibus pares.*

11 *Sortis judicium, in quæstione juris, non etiam in facti quæstione locum habet.*

12 *Possessio in acquirendo & retinendo magis de facto, quàm de jure participat.*

13 *Lis possessionis sorte dirimi nequit.*

15 *Antiquiore possessione probata, possessio iunior iniusta & clandestina esse præsumitur.*

16 *Prætor non tuetur in possessione eũ, qui ab aduersario suo, vi, clam, vel precariò possidet.*

17 *In possessorio retinendæ, qui probat suæ possessionis titulum, alteri titulum non probanti præfertur.*

18 *Titulata possessio magis iustificatur per viam rationis.*

19 *Dignior & justior est petitio proprietatis.*

20 *In possessorio judicio, articuli super proprietate non sunt impertinentes.*

21 *In possessorio, articuli super proprietate concepti, eius*

pti, eius effectus non sunt vt principaliter super petitorio pronuncietur.

22 *Cæterus paribus, & in dubio, pro reo ferenda est sententia, & num. 25.*

23 *Fauorabiliores in iure, rei potius quàm actores habentur.*

24 *Extensio ad l. fauorabiliores, de regulis iuris.*

26 *Iudicis officio incumbit, æquitatem ante oculos habere.*

27 *In possessione retinenda, si partes in probationibus per omnia pares sint, possessio æqualiter diuidenda est. & num. 30.*

28 *Vsufructu duobus in solidum relicto, possidebit quilibet dimidia.*

29 *Duobus in solidum heredibus institutis, hereditas æquis partibus inter eos diuidenda est.*

EXtra controuersiam est, sequestra [1] ad interdictũ retinendæ possessionis pertinere, partibus sc. vtrisq; se possidere cõtendentibus, & iura possessoria potiora prætendentibus; qua de causa, non alienum à pręsenti instituto fore arbitratus sum, si quis in interdicto retinendę possessionis alteri præferendus iure sit, breuiter & succinctè annecterem. In quo quidẽ articulo, illud ab omnibus receptum video, quod si pars vtraq; deducat actus possessorios [2] obtinere debeat is qui de antiquiore & cõtinuata possessione accuratius probauit, per textũ in c. licet causam 9. §. ex præmissis igitur, & §. finali, ibique glossa, in verb.

vti possidetis, extra de probationibus. In paritate [3] verò Probationum, atque ita si possessio litigiosa sit, quid pronunciandum, Doctores multum controuertunt. Nonnullis existimantibus, judicem hoc casu simpliciter pronùnciare debere, vti possidetis, ita possideatis, ita vt neutri victoria tribuatur, refert Speculator lib.2. tit. de petitorio, possessorio, & spoliatione, in principio num.32. Verùm hæc opinio communiter improbatur, eò, quòd duo [4] in solidum, eadem possessionis specie rem eandē nequeant possidere, textus in l. 3.§. ex contrario, D. de acquirenda possessione, & in l. si vt certo 5.§. si duobus vehiculum, D. commodati, textus in l. duo 19. in principio, D. de precario. latè Dynus in c. sine possessione 3. num.19. de regulis juris in 6. vbi num.24. subiicit, duas [5] possidendi qualitates in eadē possessionis substantia concurrere non posse. Hanc opinionem [6] in specie reiicit Menochius in commentariis de retinenda possessione, remedio 3. num.740. Alii, hoc in casu nihil pronunciādum, sed supersedendum putant, ne judex [7] incertam proferat sententiam, quod fieri non debet, textus in § curare, ibi Iason, Zasius, & communiter Doctores Institut. de actionibus. Ita sentit Speculator in dicto titulo, de petitorio, possessorio, & spoliatione, num. 32. versic. sed contra, quia si vterque probet, &c. Baldus [8] in l. præses 3. nu.1. C. de sentētiis & interlocutionibus omniū iudicum, vbi facetè scribit, si in paritate probationum res ita dubia reddatur, vt decidi nequeat,

tunc

tunc judicem pronũciare debere; eatis cum Deo, vnus vestrum mendacium dixit, nescio quis, allegans l. si duobus 28. D. de jureiurando. Sed & hæc [9] opinio, sicut præcedens, ab omnibus penè reprobatur, vt per Menochium dicto remedio 3. num. 748. Sunt & alii, [10] qui in hac probationum æqualitate possessionem censeant diuidendam, & vtrique eam pro parte adiudicandam, maximè si hoc petitum sit. Hanc opinionem, etsi non iniquam, in jure tamen non satis firmè fundatam esse ait Andreas Geil, in tractatu de Pignorationibus, cap. 22. num. 6. Verùm admitti ea potest cum certo temperamẽto quod infra scripsi. Denique sunt, qui litem in hac difficultate probationum, sorte dirimendam esse censuerunt, argumento l. sed cum ambo 14. ibi: sorte res discerni solet, D. de judiciis, & l. si duobus 3. in principio, ibi: vt quem sors prætulerit, is habeat potestatem eligẽdi, C. communia de legatis, Baldus in l. vnica, num. 10. C. vti possidetis, Faber in §. retinendæ, nu. 29. in fine, Institutionibus de interdictis, Felinus in c. licet causam 9. nu. 44. Extra de probationibus, sed & hęc opinio plerisque displicuit, ob id maximè, quod [11] sortis judicio in quæstione juris, non etiam in facti quæstione, adeoque in casibus tantum expressis locus sit, per textum in l. duo sunt Titii 30. D. de testamentaria tutela, l. in tribus 13. D. de judiciis, d. l. 3. in principio, C. communia de legatis, Felinus loco proximè citato. Possessio [12] verò magis de facto, quàm de jure participat, vt quæ in acquirendo, & retinendo

plus facti quam juris habeat, textus in l. denique 19. D. ex quibus cauſis maiores, & in l. 1. D. de acquirenda poſſeſſione, l. poſſeſſio 49. §. 1. ibi gloſſa, Bartolus, & Doctores, D. eodem tit. Vt lis [13] poſſeſſionis ſorte dirimi nequeat, gloſſa in l. vnica, in verb. prohibebit, C. vti poſſidetis, niſi contendentes ipſi in ſortis judiciũ conſentiant, quod facere poſſunt, per l. ſi quis in conſcribendo 29. C. de pactis, cum ſimilibus, ita Tiraquellus in tractatu de jure primigeniorum, quæſtione 17. opinione 1. num. 91. & aliquot ſequentibus. Breuiter, putarem 4. ſubſcriptis diuerſis concluſionibus, controuerſiam circa probationes in interdicto vti poſſidetis terminari, & probationũ æqualitatem, ſi qua videatur, commodè ad inæqualitatem reduci, & certam ſententiam proferri à judice poſſe. Earum prima eſt: in interdicto retinendæ poſſeſſionis, quando vterque contendit ſe in ſolidum ciuiliter & naturaliter poſſidere, & vterque probat ſuam poſſeſſionem, [14] obtinere debet is, qui antiquiorem poſſeſſionem probauit, Didacus in c. poſſeſſor, part. 2. §. 1. num. 1. & 3. De regulis juris in 6. textus in c. licet cauſam 9. vbi gloſſa, in verb. vti poſſidetis, & Panormitanus, num. 35. extra de probationibus. Probata [15] namque antiquiore poſſeſſione, poſſeſſio iunior clandeſtina præſumitur, atque iniuſta, vt is poſſeſſor iunior in judicio poſſeſſorio, meritò debeat ſuccumbere, cùm Prætor [16] non tueatur in poſſeſſione, ab aduerſario vi, clam, vel precario poſſidentem, textus in l. 1. §. fin. ibique Bartolus

num.

num.18. D.vti possidetis, Maranta in praxi aurea, parte 4.distinct.7. num.19. Plotus in repetitione l.si quando 9.num.99. C.vnde vi, Didacus in libro Practicarum quæstionum, cap.17.ad finem, Afflictus decis.363. nu.3. Boerius decis. 239.n.6.Menochius in cōmentariis de retinēda possess.remedio 3.num.725.& post hos omnes, quamuis iis non relatis, Andreas Geil in tractatu pignorationum cap.22.num.8.Secunda conclusio, si vterque probauit æqualiter,nec de alterutrius partis antiquiore possessione constat, tunc si vnus [17] probat titulum, alter non, pro eo qui titulum suæ possessionis tanquam magis coloratæ,melioris, & iustioris probauerit, pronunciabitur, textus in d.c. licet causam, vbi glossa in verb.titulum,ibique Baldus,nu.30.Felinus num. 33.extra de probationibus, Bartolus in l.si duo 3. num.4.versic.sed si vterque, D.vti possidetis,Iason in l.naturaliter 12.§. nihil commune, nu.39. D.de acquirenda possessione. Titulata [18] enim possessio, vt loquuntur, nudæ possessioni præfertur, quasi quæ magis iustificetur per viam rationis, Baldus in l.ordinarii 13. num.10. C.de rei vendicatione,& in l.post sententiam 9. num.4. C. de sententiis & interlocutionibus omnium judicum. Semperque proprietas, tanquam dignior ad se possessionem, quasi per consequentiam trahit,quia [19] iustior est petitio proprietatis, textus elegans in l.bona fides 31.§.1.ibi:mihi reddēda sunt,quæ facto scelestissimo adempta sunt, D.depositi. Quò fit vt articuli [20] de proprietate,

in hoc judicio non sint impertinentes; adeoque vtile sit, articulare & probare dominium simul cum possessione, non quidem eô fine, [21] vt super petitorio principaliter sententia feratur (fieri enim id propter repugnantiam nequit, textus in l. naturaliter 12. §. nihil commune, D. de acquirenda possessione) sed ad colorandum, & adiuuandum possessorium, ita Socinus iunior in d. §. nihil commune, num. 145. D. de acquirenda possessione, quem post plures alios, in eam sententiam retulit Menochius, in commentariis de retinenda possessione, remedio 3. num. 735. & secutus est Andreas Geil lib. 1. obs. 81. num. 6. Conclusio tertia titulo non probato, neque etiam antiquiore possessione, tunc [22] data paritate probationum, in dubio pro reo pronunciandum, cuius partes sunt [23] in jure fauorabiliores, l. fauorabiliores 125. D. de regulis juris, c. cum sunt 11. eod. titulo in 6. facit l. qui accusare 4. & quæ ibi traduntur, C. de edendo. Hanc conclusionem [24] extendũt, vt procedat, etiamsi probationes actoris in aliquo probationes rei excedant; quia & tum in fauorem rei pronunciandum, Decius in d. l. fauorabiliores, mihi n. 1. ibique Carolus Molinæus in additionibus, litera A. Idem Decius cõsilio 564. & in cap. 3. extra de probationibus; latè Andreas Alciatus in tractatu præsumptionum, reg. 3. præsumpt. 44. facit glossa l. in tribus 13. in verb. Actorem, D. de judiciis. Ac conclusionem ipsam [25] vti æquam secuti sunt Boerius in c. licet causam 9. num. 59. ad finem, de probationibus,

idem

idem decisione 239. nu.4. Corneus consil. 282. lib. 4. Faber in §. qui autem, Institut. de interdictis, inquiens eam praxi Galliæ receptam. Quam etsi impugnet probabili ratione Menochius, tamen & illo in casu eandem admittit, quo verè constat, quis actoris, & quis rei partes sustineat, vt per eum in dicto remedio 3. de retinenda possessione, mihi n.759, versic. hæc ergo opinio, &c. qui casus haud dubiè ab illis quos antè citaui, præsupponitur. Quarta & postrema conclusio; si ne hoc quidem patere potest, quod per rarò vsuuenit, tūc æquius est, vt judex (cuius officio incumbit [26] æquitatem ante oculos habere, l quod si Ephesi 4. D. de eo quod certo loco) inter [27] partes possessionem æqualiter diuidat, Bartolus in l. 3. n. 4. ff. vti possideris. Vvesenbecius ad Schneidvvinum in §. vlt. Institutionibus de interdictis, Faber in d. §. retinendæ, num. 30. eodem titulo, inquiens multa exempla occurrere posse, in quibus judex pro vtraque parte judicare debeat, verbi gratia; in nemore controuerso, in quo alter alterum turbat, & intentato interdicto suam possessionem vterque æqualiter probat. Tunc enim inquit Faber, dubium non est, quin judex possit pronunciare pro vtroque, inhibere vtrique, ne alter alterum turbet, vel impediat, modumque vtendi præscribere, per textum in l. 3. in principio ibi: neuter nostrum vincetur, nam & tu possides, & ego, D. vti possidetis. Quemadmodum haud dissimili ratione placuit, si duo sint fructuarii in fundo, eò quod cuilibet relictus sit vsusfructus [28]

in ſolidum, vt ii partes faciant per concurſum, & vterque debeat eſſe in poſſeſſione pro dimidia, textus l. vlt. in principio, D. vti poſſidetis. Idem in duobus legatariis, qui per concurſum partes faciunt, & in [29] duobus inſtitutis in teſtamento, textus in l. & hoc Titius 41. D. de heredibus inſtituendis, & in §. ſi plures inſtituantur 6. Inſtitutionibus eodem titulo, prolixè Tiraquellus in tractatu de jure primigeniorum, quæſtione 17. opinione 4. num. 9. Panormitanus in c. licet cauſam 9. num. 12. ibi Berous num. 59. Decius num. 15. extra de probationibus. Et quamuis Andreas Geil, vt ſupra ſcripſi, ànte eum quoque Baldus ab ipſo relatus hanc quartam concluſionem, in jure minùs firmè fundatam eſſe aſſerant; tamen idem Baldus rectè cenſuit, tunc eam procedere poſſe, vbi tales poſſeſſiones & [30] probationes eſſent compatibiles, & non aduerſatiuæ: adeoq; ſi poſſeſſio talis foret, quæ in ſolidum à duobus poſſideri poſſet, vt in quaſi poſſeſſione Caſtri, juriſdictionis & ſimilium, &c. Cum quo temperamento eãdem ipſe quoque admitto, ſicut & eam concluſionem recepit Menochius in ſæpedicto remedio 3. de retinenda poſſeſſione, num. 756, verſic. procedere etiam poſſet, &c. de his ſatis.

CAPVT XIIII.

Sequeſtrum, omiſſa partis citatione decretum, eſſe ipſo jure nullum. Et quis in ſequeſtro procedendi modus.

SVMMA-

SVMMARIA.

1 *Citatio, citra nullitatem, omitti à judice non potest sequestrum decernente.*
2 *Defensio, est juris naturalis.*
3 *Defensio, nemini est deneganda.*
4 *Nullitas ex defectu citationis procedens, statuto tolli nequit.*
5 *Defectus citationis, etiam à summo principe suppleri non potest.*
6 *In decernendo sequestro, partis grauatæ citatio, ad euitãdam nullitatem requiritur, & n. 9.*
7 *Sine præuia causæ cognitione, judex ad sequestrum procedere non debet.*
8 *Quæ causæ cognitionem requirunt, etiam partis citationem exigunt.*
10 *Vbi periculum in mora, à regulis juris communis recedere permissum est.*
11 *Modus procedendi in sequestro, & n. 13. 14. 16.*
12 *Sequestrum regulariter contra jus decretum præsumitur.*
15 *Accessorium sequitur naturam sui principalis.*
17 *Dolus authori suo prodesse non debet.*

REctè censuerũt vnanimiter jurisperiti, citationem [1] fundatã esse super jure naturali, ita vt citra manifestã nullitatem omitti à judice non possit, eâ cõcludẽti ratione, quod defensionẽ respiciat, quæ [2] juris naturalis est, text⁹ in l. vt vim 3. D. de justitia & jure, & in l. 1. §. cum arietes, D. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, neminique [3] denegari debet, textus in l. defẽsionis facul-

tas 7. ibi Bartolus & Doctores, C. de jure fisci, lib. 10. & in l. vnius 18. §. cognit urum 9. ibi: defensionem quocunque tempore, postulante reo, negari non oportet, D. de quæstionibus, textus notabilis in Clementina Pastoralis, de sententia & re judicata, Maranta in praxi aurea, parte 4. distinct. 9. num. 9. & parte 6. tit. de citatione, nu. 3. cum sequentibus. Hinc statutum non valet, disponens sententiam cōtra non citatum latam, firmam esse, cum nullitas ⁴ ex defectu citationis procedens, statuto tolli nequeat, Baldus in l. 1. num. 7. C. quomodo & quando judex, &c. Menochius in tractatu præsumptionum lib. 2. præsumptione 48. num. 11. Idem in commentariis de recuperanda possessione, remedio 8. num. 58. & in amplissimo respōso pro republica Genuensi, articulo 4. num. 88. Mynsing. cent. 6. obs. 5. num. 4. Andreas Geil lib. 1. obs. 75 num. 9. & 10. facit textus in §. omnium, Institut. de pœna temere litigantium. Adeoque communiter receptum sit, defectum citationis, ⁵ ne à summo principe quidem suppleri posse, per textum in dicta Clementina pastoralis, §. cæterum, ibi: cùm illa Imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis existunt, de sententia & re judicata, & in c. 1. ibi: nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire, extra de causa possessionis & proprietatis, Decius consil. 63. incip. viso puncto, nu. 12. & consil. 528. incip. pro resolutione, circa finem, Alexander, Iason, Zasius & communiter Doctores in l. de vnoquoque 47. D. de re judicata, latè

ta, latè Sebastianus Vantius in tractatu Nullitatum, titulo de nullitate ex defectu citationis, nu. 8. & multis sequẽtibus. Vnde existimo, in decernendo sequestro, [6] partis grauatæ citationem omnino necessariam esse, eaque omissa sequestrum censeri debere ipso jure nullum. In cuius confirmationem seruit, quod sine [7] prævia causæ cognitione, judex ad sequestrum procedere non debeat, textus in l. si fideiussor 7. §. finali, ibi: si hoc judici sederit, D. qui satisdare cogantur. At, quæ causæ [8] cognitionem requirunt, partis citationem etiam exigunt, textus in l. nequicquam 9. §. vbi decretum, D. de officio proconsulis & legati, & in l. nam ita Diuus 39. ibi: æstimabunt judices, adhibitis etiam his, qui contradicerent, D. de adoptionibus, & vtrobique communiter Doctores, Andreas Geil lib. 1. obs. 46. num. 10. facit l. in causæ 13. §. causa cognita, ibi: & præsentibus aduersariis, D de minoribus, l. 3. §. si causa cognita, D. de bonorum possessionibus, d. l. de vnoquoque, D. de re judicata. Et ex præmissis à me fundamentis hanc sententiam, sequestrum sc. partis [9] citationem requirere, veriorem censuit, & post plures à se relatos secutus quoque est Curtius senior in repetitione l. vnicæ, num. 40. versic. & istam partem, C. de prohibita sequestratione pecuniæ: subiiciens, nisi periculum esset in mora, ne sc. fuga debitoris suspecti instrueretur, quo casu censet partis citatione opus non esse, id quod ante eum scripserat Baldus in d. l. si finita, §. finali, D. qui satisdare cogantur. Quæ

declaratio, ea ratione nititur, quod vbi periculũ[10] in mora, à regulis juris communis recedere permiſſum ſit, textus in l. de pupillo 5. §. meminiſſe, & §. ſi quis riuos, D. de operis noui nunciatione. Quoad modum [11] verò procedendi in ſequeſtro, cõmunis Doctorum reſolutio in l. ſi oleum (aliâs incip. ſi quis adfirmauit) 9. D. de dolo malo, in ſequentem diſtinctioné recidit, nimirũ: aut ſequeſtrum [12] fuit decretum contra jus (id quod regulariter præſumitur, per l. vnicam, C. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ, extra, & in clementinis eod. tit.) & tunc petẽda eſt reuocatio & caſſatio ſequeſtri officio judicis, quatenus de facto proceſſum fuit. Aut fuit decretum [13] ſequeſtrum in caſibus exceptis, & à jure permiſſis (quorum pleroſq; hinc inde obſeruatos, ſupra ca. 3. ego annotaui) idq; vel de re ipſa, vel de fructibus. Primo caſu, ſi principaliter de re factum ſit, impetrans producere debet libellum, & ſucceſſiuè judiciarium proceſſum proſequi, non ſecus ac ſi nullum ſequeſtrũ decretum fuiſſet, vt judex cognitis partium juribus, rem ſequeſtratã relaxare, & victori eam adiudicare poſſit. Secundo [14] caſu ſi fructus ſequeſtrati fuerint, lite ſuper ipſa re jam pendente, expectabitur quoad ipſam rem litis euentus, vt [15] acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, l. nihil dolo 129. §. 1. l. cum principalis 178. D. de regulis jur. c. acceſſorium 42. eodem tit. in 6. & ſecundum euentum ſententiæ, fiet fructuum relaxatio. Sin fructus, [16] lite ſuper ipſa re necdum pendente ſequeſtrati ſint, judex aſſignabit impe-

impetranti, tanquam actori, terminum, vt libellum producat, & de prætēſo jure ſuo doceat: qui, ſi in mora fuerit, litemuè dolosè extrahat, tunc etiam ante litem finitam, ne dolus [17] authori ſuo proſit, l. is qui à debitore 9. D. quæ in fraudem creditorum, & l. 1. §. 1. D. de doli mali & metus exceptione, ſequeſtrum relaxabitur. Ita Bartolus & Doctores in d. l. ſi oleū, D. de dolo malo, Curtius ſenior in d. l. vnica, C. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ, mihi num. 54.

CAPVT XV.

Sequeſtrum, an poſſit die in honorem Dei feriata, decerni, & an tali die, iterum reuocari.

SVMMARIA.

1 *Sequeſtrum, an die in honorem Dei feriata decerni poſſit, & n. 8. 9. 10.*
2 *Ratione tēporis, ſuſpenditur interdū juriſdictio.*
3 *Ferias repentinas indicere, ſoli principi permiſſū.*
4 *Repentinæ feriæ, ſolennibus æquiparantur.*
5 *Ferias ſanctorum Gregorius IX. Pontifex ſuperaddidit, eaſque ſolennibus & repentinis adæquauit.*
6 *Ferias ſolennes, & repentinas, non admittere partium renunciationem.*
7 *Publicū jus, priuatorū pactis, mutari nō poteſt.*
11 *Vbi periculum in mora, à regulis juris communis recedere permiſſum eſt.*

12 *Feriæ, rem alterius auferre non debent, etsi solutionem differre possint.*

13 *Clericus in realibus, coram judice sæculari rectè conuenitur.*

14 *Clericus in judicem sæcularem efficaciter consentire nequit.*

15 *Clericus in judicem sæcularem consentiens, pœna arbitraria punitur.*

16 *Fuga periculo imminente, etiam Clericus à laico propria authoritate prehendi potest, vt suo judici præsentetur.*

17 *Contrariorum eadem est natura. Fallit, vt num. 22.*

18 *Nihil tam naturale, quàm eo genere quidquã dissoluere, quo colligatum est.*

19 *Sequestrum, die feriata etsi decerni, tamen tali die reuocari non potest.*

20 *Cessante causa, cessare debet causæ effectus.*

21 *Diuersa ratio, reformat pactum.*

23 *Feriis ad vtilitate hominum inductis, vt sunt messium, & vindemiarum, partium consensu expressè & tacitè renunciari potest.*

24 *Fauori pro se introducto, renunciare cuiuis permissum est.*

IN materia sequestrorum, inter alia quæsitum quoque est, an possit sequestrum, citra nullitatem, [1] die in honorem Dei feriata decerni? dubitandi causa esse potuit, quod ratione [2] temporis nonnunquam suspẽdatur jurisdictio, & exercitium

citium illius impediatur, vtpote feriis superuenientibus in honorem Dei indictis, quæ jure Cæsareo solennes dicuntur, & in l.2. atque iterum in l.omnes 7. C.de feriis, ordine recensentur; vel etiam feriis repentinis, id est, ob res publicas prosperè gestas, aut aliam publicam gratulationem, ab ipso principe [3], cui soli hoc permissum est, aliis denegatum, textus in l. à nullo 4.C. de feriis, indictis, de quibus feriis loquitur l.sed etsi per prætore 26.§.si ferię 7.D.ex quibus causis maiores. Has enim repentinas [4] siue Imperiales ferias, Imperatores præcedentibus æquipararunt, d.l.omnes, & l.vlt.C.eodem titulo, ita quidem vt talibus feriis, nulla quemquam vrgere debeat admonitio, nulla fideiussionis flagitari exactio, sed debeant tales feriæ esse à cognitionibus vacuæ & alienæ, & quæ præterea in d.l.vltima, C.de feriis habentur. Sanctorum ferias, [5] in juribus antedictis Imperatores prętermiserant, eas Romanus Pontifex, Gregorius IX. addidit, & superioribus per omnia adæquauit, vt est textus in c.vltimo, extra de feriis. Quoad has ferias omnes communiter placuit, cùm eæ partim jus diuinum, partim jus publicum respiciant, quod iisdem ne à [6] partibus quidem ipsis, nedum à judicibus, renunciari efficaciter possit, per textum in d.c.finali, ibi: vt consentientibus [7] etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sentētia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari, extra de feriis. Facit textus in l.jus publicum 38.D. de pactis, Speculator lib.2.tit.de feriis, §.finali, nu.1.

& ſequentibus, Baldus, Angelus, & Iaſon in l.1.ff. eod.tit. Itaq; in illis judicis officium [8] conquieſcet, & quicquid extra caſus exemptos, talibus feriis factũ fuerit, nihil operabitur, Baldus in l.cum antea §.circa finem, C.de receptis arbitris. Felinus in cap.ſignificaſti 18.num.9. extra de foro competenti, Vantius in tractatu nullitatum, titulo de nullitate ex defectu juriſdictionis ordinariæ, n.129. & ſequentib. Ex quibus haud dubiè conſequi videtur, vt & judex huiuſmodi diebus feriatis, [9] ad ſequeſtrum decernendum progredi facilè non debeat, ac citra nullitatem, eò deuenire ne quidẽ poſſit; verum [10] cenſuerunt Baldus & Salicetus in l.vnica, C.de prohibita ſequeſtratione pecuniæ, ſi in expectando diem non feriatam, mora periculum ſit allatura, vt ſi inde fuga debitoris inſtrueretur, judicem ad capturam, & prehenſionem debitoris, atq; ita ad ſequeſtrũ perſonale etiam die in honorem Dei feriata, procedere poſſe, per regulam proximo capite traditam, quod vbi [11] periculũ in mora, à regulis juris communis licitè recedatur, textus in l.de pupillo §.§.meminiſſe & §.ſi quis riuos, ff.de operis noui nunciatione. Ita in ſpecie, poſſe debitorẽ de fuga ſuſpectũ, etiam die feriata in honorẽ Dei, adeoq; propria creditoris authoritate, irrequiſito judice capi, ſi citra periculum requiri judex nõ poſſit, & tantò magis ab ipſo judice, vel eo prehenſionem concedente, ſcripſit Iaſon in §.omniũ, n.77.cum ſequẽtib. Inſtitutionibus de actionibus, niſi creditor ſcienter cũ ſuſpecto contraxiſſet, textus &

commu-

communiter Doctores in l.qui bona 13.§.de illo quæritur 6.ibi:ab initio vitiosas ædes cõduxerũt, & habét quod sibi imputent, D.de damno infecto. Nam vt feriæ [12] regulariter solutionẽ differre possint, d.l.vlt.ibi: vt à cunctis executionibus excusetur, C.de feriis, certè rem alterius auferre nec possunt,nec debent,præclarè Baldus in l.si vt proponis 4. per illum textum, C. quomodo & quando judex,glossa cõmuniter adprobata, in d. l.vlt.in verb.fideiussionis, C.de feriis, inquiens debitorem de fuga suspectũ capi posse, etiam die in honorem Dei feriata, ad illum effectum, vt det fideiussorem de soluendo, vel de stando juri, Doctores plerique ibidem. Qui id eò extendũt, vt etiã in clerico [13] debitore, aliâs à jurisdictione judicis sæcularis,in personalibus(nam in realibus sunt qui dissentiant, per rationem l.vlt. C.vbi in rem actio exerceri debeat, quorum sententiam Cam.Imp.judicando sequitur,teste Mynsingero cent.1. obs.22. cent.2. obs.67. cent.4. obs.95. cent.5.obs.93.n.6.& Andrea Geil lib.1. obs.37. num.4. vtrobique præiudicia vide) exempto,ita vt ne volens quidem, [14] in judicem laicum consentire,eiusq; jurisdictionẽ prorogare possit,textus in c.si diligenti 12. extra de foro competenti, ac contra faciens pæna judici arbitraria [15] puniatur, Baldus in l.1.in fine, C.de indicta viduitate tollenda, Menochius lib.2.de arbitrariis judiciũ, casu 430.num. 3.locum habeat,ita vt non minùs is, si de [16] fuga suspectus sit, prehendi à creditore laico, tum authoritate judicis, tum ju-

dice irrequisito, etiam die in honorem Dei feriata, licitè possit, eo tamē fine, vt judici suo præsentetur, Iason in l. de pupillo 5. §. si quis riuos, num. 2. D. de operis noui nunciatione. Sed quid in casu conuerso. An sicut decerni die in honorem Dei feriata, ita etiam reuocari tali die sequestrum possit? Reuocari posse suadere id videtur, quod contrariorum[17] eadem natura sit, textus in §. 1. Institutionib. de his qui sunt sui vel alieni iuris, & in l. 1. D. eodem titulo, textus qui ad id communiter allegatur, in l. illud 32. D. ad legem Aquiliam. & in l. si mandato meo 45. §. quoties, ibi: ita ex eadem causa obligatos, habere mandati actionem, vt liberentur, D. mandati. Item vulgata iuris regula: Nihil[18] tam naturale esse, quam eo genere quidquam dissoluere, quo colligatum est, l. prout quidquā 80. D. de solutionibus, l. nihil tam naturale 35. D. de regulis iuris. Sic si ex forma statuti legatum potest probari duobus testibus, eodē modo reuocatio legati poterit duobus testibus probari, Baldus in l. vltima, versic. ex his infero, C. de fideicommissis, Alexander in l. inter stipulantem 83. §. sacram, circa finem, D. de verborum obligationibus, glossa notabilis in l. minor 25. annis, 39. in principio, D. de euictionibus, quam vt singularem retulit Curtius senior, in l. si pacto quo pœnam 14. C. de pactis, vt ita iudex sicut in decernēdo sequestro siue prehensione, die feriata facilis fuit, in reuocando quoque difficilis esse non debeat. Quod ad sequestrum personale attinet, cui decernendo, etiam

dic in

die in honorem Dei feriata, locum esse scripsi, magis est, vt dicamus, etsi decerni, tamen [19] reuocari die feriatá non possit. Id quod sensisse visus est Baldus in l. cum proponas 9. & auth. seq. C. de bonis authoritate judicis possidẽtis, dum scripsit: quod suspectus de fuga, etsi possit capi, & detrudi in carcerem; tamen non possit recommendari in carceribus die in honorem Dei feriata, ad effectum vt relaxetur. Quæ sententia, ratione ea nititur, quod in decernendo periculum fugæ immineat, quo casu regulas juris communis transgredi licitum est, d.l. de pupillo 5. §. meminisse, & §. si quis riuos, D. de operis noui nunciatione, altero vero casu, debitore in carcere detento, nihil causæ sit, cur contra juris vtriusq; dispositionem, feriarum scil. solennitate obstante, tali die relaxari debeat, ita vt causa [20] ea cessante, meritò cessare debeat effectus causæ, c. cum cessante 60. extra de appellationibus, & c. Etsi Christus 26. §. penultimo, de jureiurãdo, l. quod dictum 52. D. de pactis, l. adigere 6. §. quamuis 2. D. de jure patronatus. Ac planè hic dicendum sit, diuersam [21] rationem reformare pactum; vt est textus in l. interpositas 13. C. de transactionibus. Ex quibus præmissa juris regula, quæ habet contrariorum eandem naturam esse, nullo negotio diluitur. Nam illa eatenus procedit, quatenus eadem ratio est in vtroque, per textum in l inter sti pulãtem 83. §. sacram, ibi: sed hæc dissimilia sunt, D. de verborum obligationibus, glossa singularis in c. præterea 5. in verb. ex eo, extra de officio ju-

dicis delegati, Decius consil. 652. incip. in causa, vt vulgò, num. 14. At [22] diuersa ratio est, in relaxando, quàm prehendendo, vt supra dictum. Ergo, cæterùm in aliis feriis, quin sequestrum personale & decerni & relaxari possit, nullam difficultatem esse existimo. Nam etsi feriis solennibus & repentinis (extra casus exceptos, de quibus Doctores in l. 1. §. finali, & l. sequenti, D. de feriis, Canonistæ in capit. vltimo, extra eodem titulo) renunciari in effectu nullo modo queat: aliis tamen feriis, [23] à lege vel statuto ad hominum vtilitatem inductis, vt sunt feriæ messium, & vindemiarum, tam expresse, quàm tacitè renunciari posse receptum est, argumento l. si quis in conscribendo 29. C. de pactis, & l. pactum 46. D. eodem titulo, estque de hoc textus expressus in d. cap. finali, ibi: licet diebus feriatis, qui gratia messium, vel vindemiarum, ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate, extra de feriis, textus & ibi Doctores in l. 1. D. eodem titulo, Alexander consil. 36. incip. viso, libro secundo. Guido decisione 215. incip. an executio, vbi omnino vide, Vantius in tractatu nullitatum, titulo de nullitate ex defectu iurisdictionis ordinandæ, num. 31. versic. licet secus in feriis ad vtilitatem hominum. Cum enim eæ feriæ, principaliter singulorum vtilitatem, non publicum jus concernant; ideo dubitandum non est, quin singuli quoque, [24] quorum gratia introductæ sunt, iisdem renunciare

possint,

possint, talisque actus relaxandi debitoris captiui perfici, d.l. si quis in conscribendo, ibique communiter doctores, C. de pactis.

CAPVT XVI.

Sequestrum, ratione incompetentiæ, an nullum sit censendum.

SVMMARIA.

1 *Ratione incompetentiæ, judicis sequestrum decernentis, an illud nullum censeri debeat, & num. 13. 16.*

2 *Domicilii, contractus, vel delicti ratione, regulariter quis forum sortitur.*

3 *Actor sequitur forum rei, non è diuerso.*

4 *Scienter detineri faciens debitorem, coram judice incompetente amittit jus crediti.*

5 *Jurisdictionis defectus, omni aliorum maximus est.*

6 *Iudex, Basis, Fundamentum, Dux, & Imperator judicii.*

7 *Iudicatum dici non potest ab eo, qui judicandi potestatem non habuit.*

8 *Nullitas ex defectu jurisdictionis, sub statuto, vel alia dispositione, nullitates reiiciente, non continetur.*

9 *Nullitates, processum judiciarium concernentes, in Camera Imperiali, si de meritis causa constet, non attenduntur.*

10 *Nullitatem, ex defectu jurisdictionis prouenientem, etiam Camera Imperii attendit.*

11 *Nullitas ex defectu jurisdictionis, quauis alia nullitate maior est.*

12 *Practica legum optima interpres, & ab antiqua practica non est recedendum.*

14 *Debitor de fuga suspectus, etiam à priuato, propria authoritate, die in honorem Dei feriata capi potest.*

15 *Coram judice incompetente litigare nemo cõgitur.*

17 *Vbi res litigiosa sita est, ibi coguntur partes judicium suscipere.*

18 *Nusquam habitat, qui vbique habitat.*

VLterius quæro; an debitor captus, tanquam suspectus de fuga, possit opponere exceptionem incompetẽtiæ judicis, capturam & prehẽsionem, siue sequestrum personale decernentis? atque ita an sequestrum [1] ratione incompetentiæ censeri debeat nullum? verbi gratia (fugæ suspicionem semper præsuppono) ciuis Augustanus accedit Argentinam, quo quidem in loco ipsum ratione [2] domicilii (quia Augustanus) ratione contractus (pono enim Argentinæ ipsum non cõtraxisse) atque etiam ratione delicti (nam & hunc casum excludo) forum non sortiri extra controuersiam est; etsi alias hisce in casibus forum regulariter quis sortiatur, textus in c. vltimo, extra de foro competenti, & in l. 1. ibi: vbi commissa

missa vel inchoata sunt, C. vbi de criminibus agi oporteat. Si nūc huic ciui Augustano, per alium quempiam coram judice Argentinense quæstio moueatur, de debito aliquo, ac is ciuis Augustanus asseratur suspectus esse de fuga, & petatur vt ibidem, Argentinæ scil. vel asserti debitoris persona, vel equi, aliauè si quæ secum habeat, bona mobilia sequestrētur: an huiusmodi sequestrum ab incompetēte judice, vt dictum est, decretum, subsistat & de jure efficax sit? sanè videtur omnino quod ciuis Augustanus, possit remissionem petere ad magistratum Augustanum, ac sequestrum siue prehensionem impetrans eò quoque remitti debeat, vt si quas se putet habere actiones contra ciuem Augustanum, ibidem scil. Augustæ vtpote coram ipsius ordinario judice, iisdem experiatur, per regulam in puncto competentiæ tritissimam: Actor [3] sequatur forum rei, non è diuerso, textus in l. 2. in principio, ibi: juris ordinem conuerti postulas, vt non actor rei forum, sed reus actoris sequatur, & l. in criminali §. in principio, C. de jurisdictione, textus in l. vltima, C. vbi in rem actio exerceri debeat, c. sanè 3. & c. si expressus 5. extra de foro competenti. Ac de huiusmodi remissione facienda, in contractibus, & delictis, ad locum sc. vbi quis contraxit vel deliquit, est textus in auth. qua in prouincia, ibi: illic etiam juri subiaceat, C. vbi de criminibus agi oporteat, & in c. 1. §. contrahentes, de foro competenti in 6. Speculator lib. 2. titulo de primò decreto, §. nunc iudicamus, num. 3. Vt planè

idem de remissione ad locum domicilii, in casu præmisso videatur statuendum, propter generalitatem regulæ, extra territorium, aut supra jurisdictionem jus dicenti, impunè non pareri, textus in l. vltima, D. de jurisdictione. Facit huc doctrina Baldi in c. causam matrimonii 16. circa finem, extra de officio & potestate judicis delegati, vbi decidit: quod scienter 4 detineri faciens verum debitorem, authoritate judicis incompetentis, perdat jus sui crediti, de eodem Cynus in l. extat 13. D. quod metus causa, & in d.l. 5. C. de jurisdictione. Præterea cuiuis, in jure mediocriter versato constat; defectum 5 jurisdictionis omnium maximum esse, vtpote ab ipsa causa efficiente prouenientem, judex 6 namque potissima pars, & Basis ac Fundamentum, Duxque & Imperator judicii vocatur, vt tradit Baldus in rubrica, C. si à non competente judice judicatum esse dicatur, num. 2. Eoque judicatum 7 dici non potest ab eo, qui jus dicendi potestatem non habuit, sicut judex Argentinensis in ciuem Augustanum, textus in l. 1. §. vltimo, ibi: vt judicata accipere debeamus ab eo, cui judicandi jus fuit, D. ad S.C. Tertullianum, textus in l. si se non obtulit 4. §. condemnatum, l. miles 6. §. qui judicati, l. si cum nulla 58. D. de re judicata, textus in d.l. vltima, D. de jurisdictione, & in l. 1. §. finali, ibi: si inter eos quis dixerit jus, inter quos jurisdictionem non habuit, pro nullo hoc habetur, D. quod quisque juris, l. 2. §. finali, D. de pœnis, quò fit vt nullitas 8

tas [8] huiusmodi statuto, vel sub alia dispositione nullitates reiiciente, non comprehendatur, glossa finalis in clementina vnica, de sequestratione possessionis & fructuum. Vantius in tractatu nullitatum, titulo de nullitate ex defectu jurisdictionis ordinariæ, num.4. Menochius in responso pro repub.Genuensi, artic.1. num.15. 27. Hincque est, quod etsi in Camera Imperiali, [9] nullitates processus, si alias de meritis causæ, ex actis sufficienter & liquido constet, non attendantur, ita disponente ordinatione Cameræ, parte 3.tit.34.§.1. Mynsing. cent.1.obseruat. 27.cent.4. obs.62.cent.5. obs.93. num.1.2.3. & 4. Tamen nullitas [10] ex defectu jurisdictionis procedens (quæ [11] alia quauis maior est, Decius consil 8. num.6. & consil.38. num.7. Marsilius singul.10. Menochius lib.2. de arbitrariis judicum,casu 337.nu.12.) ibidem non minùs, atque in consistoriis inferioribus attenditur, æquè in decernendis processibus, quàm in decidendis causis, teste Andrea Geil,lib.1 obs.42.nu.9. Sed hisce,quæ præmisi, non attentis,contrarium verius & receptius est, atque vbiuis locorum communi & antiqua practica (quam [12] optimam legum interpretem, & judicando ab ea recedendum non esse, dixit Bald.in c.1.in principio,vers. & ideo quando capiuntur, de feudo sine culpa non amittendo,idem Baldus, in l. illud 19. D.de excusationibus tutorum,& in consil. 472.incip. statuto communi Papiæ,columna 2. lib.1. quem referunt & sequuntur Maranta in praxi aurea,

parte 4.distinct.1.num.74. Menochius in tractatu præsumptionum lib.2. præsumptione 71.n.22. & lib.5. præsumpt.34.num.10.& 11.) obseruatur, quod sc. in defectum [13] satisdationis possit in alio loco, aduersus exterum, & non subditum sequestratio fieri, quia fit tantummodo ad eum finem, de stando juri, & ne creditor hac ratione, fugæ periculo ex parte debitoris imminente, petitione sua iniquè frustretur, ita Baldus & Doctores in d.l. vltima, C. vbi in rem actio exerceri debeat. Facit l. de pupillo 5.§. meminisse, D. de operis noui nunciatione, & quod supra scripsi, debitorem [14] de fuga suspectum, etiam à priuato propria authoritate, adeoq; die in honorem Dei feriata, prehendi & judici præsentari posse, donec judicio sisti sufficienter caueat. Vide quæ in hanc sententiam tradidit Ludouicus Romanus in l.2. D. de jurisdictione, Curtius senior in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, num.64. Cum quo hanc sententiam ego quoque recipio, ita tamē & ad eum effectum, sicut præmisi, quod debitor satisdet de judicio sisti, non in loco (nam is locus, seposito contractu, & delicto, incompetens est, d.c. vlt. extra de foro competenti) sed in loco domicilii, & de re non alienanda vel dilapidanda. Secùs putarem, si peteretur sequestrum ab incompetente [15] judice, pro executione sententiæ vel præcepti, tunc enim talis executio ab incompetente [16] judice facta, foret omninò retractanda, Curtius in d.l. vnica num.64. Spectat huc totus titulus, & quæ ibi à Doctoribus traduntur,

duntur, C. si à non competente judice judicatum esse dicatur. In reali sequestro, censerem eum judicem competentem, vbi [17] res litigiosa sita est, ad sequestrum decernẽdum, ita vt partes, quamuis quoad personam, subiectæ ei non essent, tamen de incompetentia excipere nequaquam possent, per textum in l. vlt. C. vbi in rem actio exerceri debeat. Vide quæ penè in consimili argumẽto tradidit Andreas Geil, in tractatu de Arrestis Imperii, cap. 6. per totum. Ad extremum, quæ de debitore suspecto hoc capite scripsi, eadem & multò magis in debitore vagabundo, obtinere arbitror, vt is à judice non suo prehendi & sequestrari modo prædicto possit. Eò quod nullibi certum domicilium censeatur habere, nusquam [18] enim habitat, qui vbique habitat, ac proinde vbiuis locorum conueniri possit, textus in l. eius 27. §. penult. ibi: hunc puto sine domicilio esse, D. ad municipalem. l. heres absens 19. ferè per totam, D. de judiciis, l. dies cautioni 4. §. prætor ait, D. de damno infecto, textus in l. 1. ibi: vel vbi reperiuntur, C. vbi de criminibus agi oporteat.

CAPVT XVII.

Quanto tempore sequestrum durare debeat: quibusuè modis illud finiatur, & qua actione sequester conueniatur.

SVMMARIA.

1 *Distinctione quinque casuum explicatur, quanto tempore sequestrum durare debeat, & n. 2. 5. 8. 11.*

3 *Arbitraria plerumque sunt judici, quæ in jure expressè non definita.*

4 *Dilationes omnes arbitrariæ dicuntur.*

6 *Facto alterius, sine propria culpa, nemo grauandus est.*

7 *Melius est non incipere, quàm ab inceptis turpiter resilire.*

9 *Casus contingens ex persona debitoris, non debet creditori obesse.*

10 *Succurrendum ei non est, qui semetipsum in necessitate posuit.*

12 *Instantia judicialis, durat in ciuilibus Triennio, in criminalibus Biennio, & n. 13.*

14 *Terminus durantis instantiæ, litium abbreuiandarum gratia introductus.*

15 *Sequestra, contra dispositionem juris communis introducta.*

16 *Iure pontificio, & consuetudine omnium penè locorum, a tempore instantiæ, recessum.*

17 *In Camera Imperiali tempus instantiæ non attenditur.*

18 *Satisdatione, sine idonea cautione præstita, & lite finita sequestrum relaxatur.*

19 *Satisdationis verbũ, quomodo in jure accipiatur.*

20 *Cautio sufficiens censenda quæ sit, in judicis arbitrio positum.*

21 *Leges non verbis, sed rebus ipsis impositæ.*

22 Can-

22 *Cautio juratoria, ad relaxationem sequestri, an sufficiat, & num. 25.*
23 *Offerens se ad jurandum, eo ipso se de periurio suspectum reddit.*
24 *Praeclara Baldi sententia, circa juramentum calumniae deferendum.*
26 *Existente demum conditione, nō antè, res conditionaliter sequestrata, est relaxanda.*
27 *Reuocatio sequestri, qualiter petenda sit.*
28 *Qua actione sequester, ad rem sequestratam restituendam, conueniri possit, & n. 31.*
29 *In actione, contra sequestrem intentanda, venit quoque dolus.*
30 *Depositi actio sequestraria.*
32 *Sequester, num ante litem finitam, officio suo renunciare cum effectu possit.*

QVia finiendi sequestri non vnus tantū modus in jure, & à Doctoribus traditus est; ac de actione, qua sequester ipse conueniendus sit, plerique controuertunt; ea propter postremo hoc capite, tum definiendo sequestro, tum de actione qua sequester conueniatur, coronidis loco, nonnulla subiiciam. Quod vt dilucidius exequar, subsequentes [1] 5. Casus, perspicuitatis gratia, distinguo atque constituo. Eorum primus est, quando actor qui sequestrum impetrauit, in causa paratus est procedere, tunc sequestrum durabit tamdiu, donec lis super re sequestrata fuerit ad finem & effectum perducta, textus & ibi Bartolus, Alexander, & communiter

Doctores in l. si fideiussor 7. §. vlt. D. qui satisdare cogantur. Secundus [2] si is ad cuius petitionem sequestrum decretum fuit, procedere paratus nō est, sed id ex proposito differt & protrahit, quo magis debitorem vexet. Hoc in casu judex qui sequestrum decreuit, actori certum tempus pręfiget, intra quod, sub pœna perpetui silentii, & cum cōminatione de sequestro relaxando, actor agere, & de jure suo experiri debeat, argumento, l. sed etsi per prætorem 26. §. ait prætor, ibi: si per dilatiónes iudicis effectum sit, vt actio eximatur, D. ex quibus causis maiores, & l. diffamari 5, C. de ingenuis manumissis, l. mācipiorum 6, ibi: decernere debet prætor, nisi intra tempus ab ipso præfinitum elegisset, actionem legatorum ei nō competere, D. de optione legata, textus in c. pastoralis 14. ibi: certum tempus à judice assignandum, ita vt si partes postmodum exceptiones aliquas voluerint opponere, nullatenus audiātur, D. de exceptionibus. Quantum temporis verò huic actori ad agendum judex [3] assignare debeat, cum in jure definitum non sit, censuerunt Iacobus de Arena in tractatu sequestrationis, discreti judicis arbitrio committendum esse, argumento l. 1. §. 2. ibi: cùm dicit tempus, nec adiicit diem, sine dubio ostendit, esse in jus dicentis potestate, quem diem præstituat, D. de jure deliberandi, & post ipsum Menochius lib. 2. de arbitrariis judicum, casu 457. num. 7. qui in specie d. l. diffamari, C. de ingenuis manumissis id comprobat. Et iuuatur illa sentētia, communi juris theorica, qua [4] dilatio-

dilationes omnes arbitrariæ dicũtur, per textum in l.siue pars 3. vbi Salicetus & Doctores, C. de dilationibus,& in l.2.§. vtrum autem, D.quemadmodum testamenta aperiantur, textus in c. quoad cõsultationem 15.ibi: qui ad prouocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegauit, extra de sententia & re judicata,c.oblatæ 57.extra de appellationibus; Speculator lib.2. tit. de dilationibus §.1. versic.& possunt abbreuiari,num.19. & in tit. de citatione, §.nunc de temporum, in fine, num.4. & §.fin.eod.tit. Maranta in praxi aurea, parte 6. titulo de dilat.num.15. eamque sententiam Camera Imperii recepit, teste Andrea Geil, lib.1. obs.91.num.13. Casus [5] tertius, si creditor qui sequestrum obtinuit,facto judicis,quo minus agat, impediatur,tunc illud judicis factum neutri partium obesse debet, per textum in l.1.ibi:sanè talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa est, D. si quis cautionibus in judicio, &c. Quapropter hoc sequestrum relaxari æquius est, ex quo fieri ab initio non debuit, & ne judicis facto, [6] pars contra quam decretum fuit, præter culpam iniquè grauetur, per c. non debet 22. & c. sine culpa 23. ibi latè Dynus de regulis juris in 6.l.aliud est fraus 131.in principio,ibi: pœna sine fraude esse non potest, D.de verborum significatione; siquidem melius sit [7] nõ incipere, quàm ab inceptis, propter impedimentum turpiter resilire,Nouella de litigiosis,constitut.112.cap.3.in principio,Iacobus de Arena loco proximè citato,

num. 12. verſic. ſi verò ſtat per judicem. quem ſequitur Menochius dicto caſu 457. num. 9. Caſus [8] quartus, ſi creditor ne agat, impediatur caſu, tunc talis caſus vel ſuperuenit facto creditoris, & reuocabitur ſequeſtrum, per jura præmiſſa, & faciunt huc ſupra caſu ſecundo tradita, Iacobus de Arena, in ſæpedicto tractatu ſequeſtrationis num. 13. Vel ſuperuenit is caſus facto debitoris, eius ſcilicet contra quem ſequeſtratio decreta, & tunc ſequeſtrum decretum permanebit, cum caſus [9] contingens ex perſona debitoris, non debeat creditori, qui pro ſua ſecuritate ſequeſtrum impetrauit, nocere, aut obeſſe, l. non debet 74. D. de regulis juris, l. ſi vnus 27. §. ante omnia, D. de pactis, l. coheredibus 17. C. familiæ erciſcundæ, cap. 2. extra de conſtitutionibus. Nec [10] ſuccurrendum ſit ei, qui ſemetipſum in neceſſitate poſuit, textus in l. ſi fideiuſſor 7. §. ſi neceſſaria, in fine, D. qui ſatiſdare cogantur, ita Iacobus de Arena, loco ſupracitato num. 14. & 15. & poſt ipſum Menochius lib. 2. de arbitrariis judicum, caſu 182. num. 62. Facit textus in l. non exigimus 2. §. ſi quis tamen 8. ibi: ſi ipſe ſe arctauerit, exceptio ei minimè proſit, D. ſi quis cautionibus in judicio, &c. l. continuus 137. §. cum ita, ibi: neque tam delicatè progredi debeat, vt reprehenſione dignus ſit, D. de verborum obligationibus. Quintus [11] caſus, ſi creditor fuit impeditus facto ſuperioris, verbi gratia, ſi judex à principe mutatus fuit, & alter in eius locum ſubrogatus,

gatus, tunc durabit sequestrum tamdiu, donec fuerit satisdatum, vel lis finem acceperit, Iacobus de Arena in dicto tractatu sequestrationis, mihi num.16. per l.si fideiussor 7.§.finali, ibi: donec vel satisdatio detur, vel lis finem accipiat, D.qui satisdare cogantur, & l. meminisse 10. D. de officio proconsulis & legati, l.vlt. D.de penu legata, l.cum apud 20. D.judicatum solui, Menochius sæpe dicto casu 457. num.11. & ante ipsum Iacobus de Arena in tractatu sequestrationis, d. num.16. Maranta in praxi aurea, parte 5.vers.& omnia fiant durante instantia, num. 5. Quoad finiendum porrò sequestrum, sunt qui censent triennii spacio non amplius illud durare, atque ita tempore durantis instantiæ (in
12 ciuilibus triennio, textus in l. properandum, quæ aliis est 11.mihi 13. habeo enim duas græcas constitutiones ex Basilicis interiectas, C.de judiciis, in 13 criminalibus biennio circumscriptæ, d.l.properandum ibi: criminales causas iam lex nostra biennio conclusit, & l.vlt. C. vt infra certum tempus, Mynsing.cent.3.obseruat.44.) terminandum esse, Curtius senior in l.vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, num.57. ob id maximè, quod is terminus 14 durantis instantiæ, abbreuiandarum litium causa introductus sit, supracit.l.properandum, in principio, C.de judiciis, l.quidam existimauerũt 21.ibi: cùm ad officium eius pertineat lites diminuere, D.de rebus creditis, textus in c. nonnulli 28.§.fi. ibi: lites restringendæ sint potius, quàm laxandę,

extra de reſcriptis, c. finem litibus 5. in principio, de dolo & contumacia; meritò ad [15] ſequeſtra extendi debeat, vtpote contra diſpoſitionem juris communis introducta, d. tit. C. de prohibita ſequeſtrat. pecuniæ, & extra, atque in clementinis eodem titulo. Verùm, vix eſt vt ſuſtineri hæc opinio poſſit; cùm & jure [16] pontificio c. venerabilis 20. extra de judiciis, Maranta in praxi aurea, parte 5. verſic. Et omnia fiant durante inſtantia, num. 14. & conſuetudine omnium penè locorum, à tali tempore durantis inſtantiæ receſſum ſit, vt praxis quotidiana docet, & ita [17] in Camera Imperiali, ſummo Germanicæ nationis conſiſtorio, quotidie obſeruari teſtatur Andreas Geil, lib. 1. obſ. 28. num. 3. obſ. 141. num. 7. Mynſing. cent. 1. obſ. 51. cent. 2. obſ. 48. (quanquam quoad judices ordinationis, *Vermog der bevvilligten vnd verglichenen auſtregen*, tempus inſtantiæ, ibidem præfixum, etiamnum durare ego exiſtimem, ordinatio Cam. Imp. parte 2. tit. 8. §. *Gleicher vveyß vvo ſich Zutragen vvurde.*) Ac proinde, quoad finiendum ſequeſtrum, certum & limitatum tempus, ab analogia inſtantiæ conſtitui difficulter queat. Itaque mihi magis probatur eorum ſententia, qui ſatiſdatione [18] ſiue idonea cautione, & lite finita ſequeſtrum expirare docuerunt, per textum expreſſum in l. ſi fideiuſſor 7. §. vlt. ibi: donec vel ſatiſdatio detur, vel lis finem accipiat, D. qui ſatiſdare cogantur, & in l. ſi quando 7. ibi: ſi fideiuſſores dare non potuerit, tunc ea conuenit ſequeſtrari, itaque ſi dederit fideiuſſores, relaxa-

relaxari, C.de ordine cognitionum, l. ſciendum 15.in principio, D.qui ſatiſdare cogantur, Mynſing.cent.5.obſ. 35. num.8. reſponſo 66. incip. reſponſi ſequentis Thema, nu.18. item reſponſo 82. incip. Anna E. de W.num.2. Andreas Geil in tractatu de Arreſtis Imperii cap.1.num.12. Ac de poſteriore quidem nulla difficultas eſt, quin ſcil. lite finita ſequeſtrum finiatur, (dummodo impetrans ſequeſtrum, in procedendo non ſit negligens, iuxta ſecundum caſum hoc capite præmiſſum) ita vt pro euentu ſententiæ, actori vel res ſequeſtrata, pro quantitate ſcil. debiti, adiudicetur; vel ab eius impetitione, in defectũ probationis, reus contra quem decretum fuit ſequeſtrum, definitiuè abſoluatur, textus in l.ſi oleum 9. vbi Bartolus & Doctores id tradunt, D.de dolo malo. Quoad ſatiſdationem verò illud ante omnia ſciendum eſt, ſatiſdationis [19] verbum in jure accipi non de nuda cautione, ſiue ſimplici promiſſione, de qua in l. ſancimus 3. ibi: cautionẽ vel ἀσφαλείαν, minimè fideiuſſionem, ſed nudam promiſſionem ſignificare, C. de verborum ſignificatione, gloſſa in c.qua fronte 25. in verb. cautione, extra de appellationibus, ſed de cautione idonea & ſufficiente, nimirum quæ fit datis fideiuſſoribus, vel pignoribus, de judicio ſiſti, & de re non alienanda, ſed reſtituenda lite finita in caſu victoriæ, per textum in d.l.ſancimus, ibi: niſi de ſatiſdatione, vel fideiuſſione ſpecialiter ſit mentio facta, & in l.1. D.qui ſatiſdare cogantur, l.ſi mandato Titii 59. §.fin.ibi: ſi idonea cautio

exigebatur, non videri paritum, si neque fideiussor, neque pignora accepta sint, D. mandati, textus notabilis in l. 4. §. si sub conditione, D. de fideicommissariis libertatibus, l. si debitori 21. D. de judiciis, Maranta in praxi aurea, parte 6. tit. de satisdatione, num. 1. Menochius lib. 2. de arbitrariis judicum, cas. 142. nu. 4. qui qualitatem idoneæ [20] cautionis, arbitrio judicis committit. Etsi verò, vt præmissum, talis cautio ad id præstetur, de re nimirum lite finita in casu victoriæ iterum restituenda, non tamen requiritur, vt verba illa, de re absque vlla procrastinatione & mora (scil. restituenda) cautioni inserantur, vt Bartolus & alii nonnulli opinati sunt: cum huiusmodi formulæ sublatæ sint, Doctores communiter in §. 1. Institutionibus de actionibus, & jurisperitis magis conueniat, sensum ipsum quàm verba spectare, textus in l. quoniam indignum 15. ibi: verborum non esse necessariam obseruantiam, C. de testamentis, & leges non [21] verbis, sed rebus ipsis impositę sint, l. vt nullo modo 28. C. de vsuris, l. 2. in fine, C. Communia de legatis, l. 3. in principio, C. de vsuris rei judicatæ, c. commissa, 35. §. porrò, de electione in 6. Atque in restitutione facienda, illa clausula, (nulla mora commissa) quamuis non expressa, tacitè semper subintelligatur, Curtius in l. vnica, C. de prohibita sequestratione pecuniæ, nu. 69. Circa præcedentia quæsitum est: Anne ad sequestrum relaxandum [22] cautio juratoria omnino insufficiens sit, an verò ea effectū relaxationis sequestri aliquo

in casu,

in casu producere possit? & videbatur per jura præmissa, vtique eam semper reiiciendam, præsertim cum perditis hisce temporibus ea sit hominum leuitas & temeritas, vt ad juratorias tales cautiones præstandas, non solùm quilibet promptus sit, sed etiam plerique semetipsos ad jurandum [23] offerant, eaque oblatione suspectos se de periurio reddant, textus in l. quæ sub conditione 8. in principio, ibi: faciles ad jurandum contemptu religionis, D. de conditionibus institutionum. Vt id, quod olim Baldus [24] in l. si post perfectam 24. num. 1. C. de euictionibus, & post ipsum Socinus in c. cæterum 5. num. 8. extra de juramento calumniæ, atque Maranta in praxi aurea parte 6. tit. de juramento, num. 11. de calumniæ juramento, præclarè scripserunt, hodie scil. illud ne obolo quidem æstimari, ac magis de calumnia committenda quàm euitanda, litigatores jurare; ad alia quæuis juramenta, ac tanto magis ad juratoriam cautionem transferri quoque possit, Specul. lib. 4. tit. de sequestratione possessionis, & fructuum, num. 2. versic. & melius. Albericus in l. si fideiussor 7. §. fin. D. qui satisdare cogantur, qui ait se ita semper vidisse practicari in palatiis. At eo non obstante, receptum, & jure maximè pontificio confirmatum video, juratoriam [25] cautionē, ad sequestri relaxationem impetrandam, nonnunquam sufficientem esse, textus & ibi cōmuniter Canonistæ in c. per vestras literas 7. §. 1. ibi: sub ea quam potest cautione præstare, extra de donationibus inter virum &

vxorem, glossa singularis in l.1. C. de assertione tollenda, & in c. ex parte 2. extra de verborum significatione; Dummodo tamen persona juratoriam cautionem offerens integræ vitæ, & probatæ existimationis, non autem de dilapidatione aut fuga suspecta sit, Doctores in l. si vsufructu 4. C. de vsufructu, ibi Bartolus num. 4. Ita eam traditionem Assessores Cameræ Imperialis recepe-runt, & judicando secuti sunt, vt refert Mynsing. cent. 2. obs. 11. cent. 5. obs. 35. num. 8. Andreas Geil, qui in terminis juris communis id comprobat, lib. 1. obs. 148. num. 6. & lib. 2. obs. 47. num. 13. Quod si certa conditione res sequestrata fuerit, tunc [26] existente conditione demum, non antè relaxatio peti poterit, & fieri in effectu debebit, textus in l. si qs adfirmauit 9. §. Labeo, ibi: nondum impleta conditione, D. de dolo malo. Petenda [27] interim sequestri reuocatio est judicialiter, porrecto scil. coram judice libello, causas reuocandi sequestri continente, vt parti aduersæ eas, si possit, impugnandi, & sequestri continuationem petẽdi detur copia & facultas; alias sine libelli porrectione, facta reuocatio nullius momenti aut ponderis, adeoque à judice superiore iterum cassanda, & sequestratio respectiuè confirmanda foret, Speculator lib. 4. tit. de libelli conceptione, §. nunc dicendum, versic. 22. nu. 14. per text. in l. prolatam 4. C. de sententiis & interlocutionibus, c. in præsentia 8. extra de probationibus, eum sequitur Menochius cum aliis pluribus à se relatis in Cõmentariis de adipiscẽda posseſsio-

possessione,remedio 6.& vltimo,num.20. Sed, qua[28] actione sequester ipse (si forsan reddendi tempore adueniente, rem sequestratam restituere detrectet) conueniri poterit? Iacobus de Arena in supracitato tractatu sequestrationis n. 4. censuit actione depositi sequestrem conueniẽdum esse, per textum in l.ei apud quem 5 §.1. ibi:in sequestrem depositi actio competit,D.depositi,dolumq; [29] ipsius in hanc actionem venire,per textum in l.si hominem 7.in principio,D. eodem tit.l. qui restituere 68. D. de rei vendicatione. Quæ tamen actio depositi[30] ad differentiam alterius dicitur sequestraria, textus in l.si in Asia 12.§.2.ibi: cum sequestre rectè agetur depositi sequestraria actione, D.depositi, Alciatus in l.sequester 109.nu.3. in fine, D.de verborum significatione, Matthæus Vuesenbecius in PARATIT.D.depositi,num.6.Sunt etiam qui existiment,cõtra[31] sequestrem (vtpote ex quodam quasi contractu obligatum ad restituendum) dari actionem præscriptis verbis, quemadmodum aduersus eum qui annulos quos sponsionis causa accepit,reddere recusat,l.si rem 18.§.fin.D.de præscriptis verbis,Curtius senior in l.vnica,C.de prohibita sequestratione pecuniæ,nu.25. & 26. De quo tamen merito dubitat Alciatus in d.l. sequester num.3. cùm hic sequester non sit, nec de annulo vlla fuerit controuersia. Vide prolixius Bartolum in l.interesse puto 39.num.5. D.de acquirenda possessione, Panormitanum in c.dilectus filius 2.num. 28. extra de sequestratione

possessionis & fructuum. Ad extremum, quamuis dubitandum non sit, posse sequestrem[32] ante litem finitam officio suo renunciare, illudue iterum deponere, per doctrinam Baldi, in d.l.vnica, C.de prohibita sequestratione pecuniæ, ibiq; Curtius senior, num. 27. Tamen id ita accipiendum omnes fatentur, si subsit iusta aliqua renunciandi causa, & interueniat judicis, qui sequestrũ decreuit, licentia & authoritas, ita Curtius d.nu. 27. Hostiensis in summa, extra de sequestratione possessionis & fructuum, n. 5. per textum ad hoc singularem, in l. ei apud quem 5. §. fin. ibi: adire eum prætorem oportere, nam plerumque non est permittendum, officiumquod semel suscepit, deponere, nisi iustissima causa interueniente, D. depositi. Hæc sunt, quæ in materia sequestrorum potiora, & notatu atque relatione digna esse censui: in quibus quidem tãtum abest, quod in jure eruditi lectoris judicium fastidiam, vt ipsemet ea omnia qualiacunque sunt, rectius sentientis censuræ libenter & ingenuè submittam.

FINIS.

INDEX

INDEX IN HVNC DE SEQVESTRIS TRACTATVM, TAM RERVM QVAM VERBORVM præcipue memorabilium.

Cuius prior numerus caput, secundus notas Arithmeticas supermarginales, tertius paginam denotat.

poft

H

I

FINIS.






BIBLIOTECA